

J.911.

F. g 11.

ANTONIUS BARTHII  
PROFESSORIS ET PASTORIS  
MATHEMATICÆ  
SYNTHETICÆ  
ELEMENTORUM  
LIBER I  
1650

115.



ANTONII BARTHII  
CANONICI WISENSTEIGENSIS, PROFESSORIS  
MATHESEOS &c.

GEOGRAPHIÆ  
MATHEMATICÆ  
ELEMENTORUM  
LIBRI DUO  
USUI TIRONUM.



---

AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
IMPENSIS VIDUÆ EBERHARDI KLETT.  
MDCCCLXXIV.

ИМЕНИ БАТИ  
СОВЕТСКОГО СОЮЗА  
ГЕОГРАФИЧЕСКИЙ  
АКАДЕМИЧЕСКИЙ  
МИНОТИНСКИЙ  
ЛІБРІ ДІБІ



МОСКОВСКАЯ МИНОТИНА  
СОВЕТСКОГО СОЮЗА ГЕОГРАФІЧЕСКИЙ  
АКАДЕМИЧЕСКИЙ

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
PRINCIPI  
DOMINO DOMINO  
**MAXIMILIANO**  
**JOSEPHO**  
UTRIUSQUE BAVARIÆ  
ET  
SUPERIORIS PALATINATUS  
D U C I,  
COMITI PALATINO RHENI  
S. R. I. ARCHIDAPIFERO ET ELECTORI  
LANDGRAVIO LEUCHTENBERGENSI  
&c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO  
SUO CLEMENTISSIMO.

PRINCIPI AC DOMINA  
DOMINA DOMINA  
MAXIMA  
IUSTITIA  
CITRUSQUE RAVANA  
TAT  
SUTRIORIS TALITAS  
DUC  
COLLEGATUM IN RAVANA  
SABINEA CHINENSIS ET ELEGANT  
LAURENTIA EUCHENIENSIS  
PRINCIPI AC DOMINA  
SVO CLEMENTIA



SERENISSIME  
PRINCEPS  
POTENTISSIME ELECTOR  
DOMINE DOMINE  
CLEMENTISSIME.

Pro summa, quam nuper admodum a Tua,  
PRINCEPS SERENISSIME, immor-  
tali clementia sum consecutus, gratia & be-  
neficio cum, quo potissimum pacto gratum  
testari animum me oporteret, apud me  
cogitarem, nihil in hanc rem opportu-  
nius putavi fore, quam publico aliquid  
literatæ juventutis commodo elucubrare.  
Enimvero PATRI PATRIÆ displicere  
non potest labor, quem privatus in se  
quisque *communi Reipublicæ emolumento* su-  
scipit. Atqui ego quidem nihil ad Reipu-  
blicæ præsertim literariæ incrementum af-  
ferri posse utilius existimo, quam si ejus-  
modi per omne disciplinarum genus libel-

Iorum auxiliis tenera juvetur ætas, qui nec  
vastitate sua discentium animos, nec sum-  
ptu parentes terreant. Mathematicis igit-  
tur, quæ eidem huic ætati abhinc biennio  
suppeditaveram, de arithmeticā, de alge-  
bra, de geometriā, de ballistica, de me-  
chanica &c. subsidiis, hoc denique opu-  
sculum addendum esse putavi; quod dum  
ad TUOS, SERENISSIME PRINCEPS,  
velato veluti capite se sternit pedes, A VER-  
SATISSIMA TUA IN MATHEMATICIS  
SAPIENTIA expectat sententiam, A CLE-  
MENTIA sperat gratiam.

Ego vero inter innumeras BENEFICEN-  
TISSIMÆ ac CLEMENTISSIMÆ VO-  
LUNTATIS erga me TUE gratias primo  
fa-

facile loco collocaverim, si quale cunque  
hoc grati animi mei testimonium sereno  
tantisper supercilios respicere, æqui consu-  
lere, tueri atque probare clementissime  
fueris dignatus, meque deinceps gratosissi-  
me patiaris esse sempiternum

## CLEMENTISSIMÆ SERENITATIS

TUÆ

Subditum fidelissimum devo-  
tissimum

Antonium Barthium.

)C 4

APPRO.



# APPROBATIO.

Elementa geographiæ mathematicæ &c.

Imprimatur.

Sig. München in dem Thurf.  
hochlöbl. Bücher-Censur-  
Collegio, den 23. Junii  
1774.

Wilhelm Wodiczka  
Secretarius.



## TIRONIBUS GEOGRAPHIS SALUTEM.

Quam nuper nactus sum scribendi opportunitatem, vestris, tirones geographi, commodis potissimum consecrandam esse putavi. Nihil vero mihi quidem videbar tradere vobis posse utilius, jucundius nihil, præterquam *geographiæ mathematicæ elementa*. De argumenti hujus utilitate multis præfari supervacaneum apud vos duxerim, qui utique non ignoratis, quanto cum fervore, quanto studio, in scholas undique publicas, postremis maxime hisce annis, illatum sit *geographiam docendi munus*, ut, quibus ea demandata provincia est, nec ipsam adeo pueritiam præclaræ hujus scientiæ

## PRÆFATIO.

penitus expertem esse paterentur. Nec immerito ; quando inter eas utique scien-tias adnumeranda est geographia , quibus ætate hac nostra citra ignominiae periculum carere nemo facile sapientum potest.

Quid vero homini literato *jucundius* esse existimem , quam per vastissima maria, per omnes terras , per ipsa immensa illa cœli spatia posse citra motus incommodum vagari , & modo ex Europa in Asiam , modo in Americam ex Africa immoto corpo-re , soloque animo proficisci ? Mundum graphus velut in pugnum contrahit , & omni equo velocior ultiro citroque per orbem migrat. Ipsas temporum, regionum, noctium dierumque vicissitudines sua quodammodo in potestate habet , & momenta horarum singula singulis per orbem populis unica globi sui circumvectione determinat. Denique , quæ præcipua esse peregrinantium voluptas solet , regionum naturam & indolem , situm & limites, fluviorum anfractus, utrorumque five angustias five magnitudinem examinat  
domi

## PRÆFATIO.

domi suæ , & remotissimorum a se locorum  
intervalla sine labore metatur sedens.

Profecto , si scientiarum omnium sua-  
vitate nihil jucundius esse hominibus puta-  
vit Cicero , geographiæ suavitas ceteris  
omnibus erudito homini debet esse jucun-  
dior.

Ad hanc itaque utilissimam suavissi-  
mamque scientiam primos vobis , tirones,  
referare aditus constitui hoc opusculo ad  
captum , ni fallor , vestrum perdiligerent  
adcommodato. Nihil in hoc sublime , ab-  
strusum nihil , nihil , ut arbitror , inexplic-  
atum. Antequam tamen finiam , etiam  
atque etiam vos adhortor , ut ad geographi-  
ca hæc elementa non utique accedatis va-  
cui penitus atque inermes. *Non geometras*  
*requiro* ; quæ enim inter geometras viget lin-  
gua ne vobis peregrina forsitan videretur,  
notiones quasdam geometricas , opusculum  
hoc legentibus necessarias & oportunas  
præmisi. *Arithmeticos vos esse volo neque*  
*ele-*

## PRÆFATIO.

*elementarios* duntaxat, sed plane *pragmaticos*, & frequenti antea usu exercitatos; quam in rem libellum vobis, nuper admodum, lingua patria conscriptum obtuli, in quo qui fuerit diligenter atque adcurate versatus, næ is poterit citra hæsitationis periculum per has paginas decurrere, modo & sphæram armillarem, aut globos certe artefactos mappasque identidem præ oculis lector habeat. Valete, & meum vobis gratificandi studium æqui bonique consuete.

Antonius Barthius.

PRÆ-





## PRÆNOTIONES.

1. *Línea* est longitudo sine latitudine, cuius limites *puncta* sunt.

2. *Recta* dicitur, quæ ab uno punto A ad aliud B (Fig. 1.) via brevissima duci potest, & in nullam partem declinat.

3. *Curva*, quæ non ducitur via brevissima, ut a b (Fig. 2.).

4. *Lineæ parallelae* (sive curvæ illæ fuerint, sive rectæ) sunt, quæ pari a se undique intervallo distant, & in infinitum productæ nunquam concurrunt, velut A B & D C (Fig. 3.) vel etiam a b & d c.

5. *Angulus* est duarum linearum in uno punto C (Fig. 4.) concurrentium ad se invicem inclinatio.

Si duæ hæ lineæ rectæ fuerint, dicitur *angulus rectilineus* (Fig. 4.): si curvæ, *curvilineus* (Fig. 5.)

## PRÆNOTIONES.

(Fig. 5.), si altera curva, altera recta, mixtilineus. (Fig. 6.)

6. Punctum, in quo duæ lineæ concurrunt, appellatur *vertex anguli*, lineæ concurrentes dicuntur *crura*.

7. *Circulus* est figura plana, quam claudit curva in se rediens, cuius singula puncta a puncto C æquidistant. (Fig. 7.)

Punctum C *centrum* dicitur. Curva A B E D planum claudens appellatur *perimeter* seu *peripheria circuli*. Recta quævis A E ab uno peripheriæ puncto ad aliud per *centrum* ducta vocatur *diameter*, hujus vero dimidium A C vel C E, *radius*. Peripheriæ pars quæcunque, veluti B m, A B, m E &c. *arcus circuli* adpellatur. Peripheriæ quævis divisa esse concipitur in 360 partes æquales, quas *gradus* dicimus.

8. *Mensura* cujuscunque anguli est *arcus circuli* a m ex vertice anguli C tanquam centro (Fig. 8.) descriptus, & inter crura interceptus.

Si hic arcus quartam circuli partem, seu  $90^\circ$  gradus adcurate æquat, angulus c (Fig. 9.) erit *angulus rectus* & linea a c erit ad lineam a m *perpendicularis*. Unde

9. *Linea perpendicularis* illa dicitur, quæ cum altera angulum rectum efficit.

10. Si

## PRÆNOTIONES.

10. Si arcus a m (Fig. 10.) quadrante circuli seu  $90^\circ$  gradibus major fuerit, angulus C erit *obtusus*; si minor (Fig. 8.) erit *acutus*.

11. Super quavis recta A B ex quovis puncto C potest describi *semicirculus* (Fig. 11.), aut etiam *circulus integer* (Fig. 12.). Unde

12. Si recta quæcunque m c in aliam quæcunque A B incidit (Fig. 11.), oriuntur duo anguli x & y, qui vocantur *anguli deinceps positi*, seu rotunde *anguli deinceps*, quorum summa semper æqualis est  $180^\circ$  gradibus seu *semicirculo*; nimis x + y =  $180^\circ$ .

13. Si recta quæcunque D E rectam aliam A B penitus intersecat, oriuntur ad punctum intersectionis, quod omnium communis vertex est, quatuor anguli a, b, c, d (Fig. 19.), quorum omnium summa æquatur  $360^\circ$  gradibus, seu *integro circulo*.

Horum bini quique oppositi, nimis a & b, item c & d *verticales anguli* appellantur, qui semper inter se æquales sunt, seu a = b, & c = d.

14. Unde si (Fig. 11.) nota est anguli x mensura, hoc ipso nota erit pariter mensura anguli y, quæ est *complementum ad*  $180^\circ$  *ipsius anguli* x. Sit v. gr. anguli x mensura, seu arcus f g =  $130^\circ$ , erit mensura anguli y, seu arcus g n =  $180 - 130 = 50^\circ$ . Est enim  $130 + 50 = 180$ .

15. Tri-

## PRÆNOTIONES.

15. *Triangulum* est figura plana tribus lineis clausa. Continet ergo quodvis triangulum tres lineas, & tres angulos. Si lineæ fuerint rectæ (Fig. 12.) erit triangulum rectilineum, si curvæ (Fig. 13.) curvilineum, si duæ curvæ & una recta, vel vicissim, (Fig. 14.) mixtilineum.

Porro si in triangulo rectilineo omnes tres anguli fuerint acuti (Fig. 12.) erit triangulum acutangulum. Si unus rectus erit rectangulum (Fig. 15.), si unus obtusus, triangulum adpellabitur obtusangulum. (Fig. 16.)

16. In quovis triangulo illud latus reliquis majus est, quod angulo majori opponitur. Sic in triangulo rectangulo (Fig. 15.) maximum latus est A B, quod opponitur angulo ad C recto, & hoc latus oppositum angulo recto adpellatur hypothenusa, reliqua duo latera, quæ angulum rectum ad c efficiunt, vocantur catethi.

17. Figura quadrilatera, cujus latera opposita sunt æqualia (Fig. 7.), vocatur parallelogrammum, & quidem rectangulum, si omnes anguli sunt recti, obliquangulum, si anguli sunt obliqui, ut Fig. 18.

Atque hæc ferme sunt, quibus veluti præmuniendus mihi videbatur tiro, antequam ad legendum hoc opusculum accederet.



GEO-



GEOGRAPHIÆ  
MATHEMATICÆ  
ELEMENTORUM  
LIBRI DUO.

LIBER I.

GEOGRAPHIA ELEMENTARIS  
THEORETICA.

Geographia telluris figuram, magnitudinem, & nascentes inde proprietates examinat.

SECTIO I.

PRÆNOTIONES.

§. I.

DE FIGURA TELLURIS.

I. THEOR. *Figura telluris propemodum globosa est.*  
*Dem. I. Ex Eclipsibus* ». Quoties, & quo demum-cunque situ, quacunque ex parte luna

A

in-

ingreditur telluris umbram, arcu *circulari* in luna semper hæc umbra terminatur; igitur & quævis telluris *sec̄tio circularis* sit oportet, & *tel-lus sphaera*. Q. E. D.

**II. Ex Syderum motu.** Sol & stellæ omnes v.g. Syrius, populis, qui orienti  $15^{\circ}$  propiores sunt citius una hora semper & ubique oriuntur, quam illis, qui totidem gradibus versus occasum recedunt; igitur manifestum est, tellurem ab ortu ad occasum rotundam esse. Sed & illis, qui ab æquatore versus polum utrumque sub eodem meridiano progrediuntur, polus, & stellæ circumpolares, qui supra horizontem sunt, continuo ascendere, alter vero polus, & stellæ hemisphærii oppositi continuo deprimi, ac tandem occultari notantur. Igitur & hæc superficies telluris a Meridie versus Septentrionem, atque adeo omnis figura terræ globosa est.

**III. Ex observationibus terrestribus.** In mari navigantibus, aut per vastam planitatem agentibus iter summa montium cacumina, aut fastigia ædificiorum adparent primo, & veluti elutari ex undis, aut ex terræ visceribus videntur identidem, ut adeo summi eorundem vertices primum, medietates deinde, ad extremum ima, atque radices se adpropinquantium oculis objiciant. Atqui, tellus plana si esset, ima citius distinctiusque videri ab accendentibus debere perspicuum est; sit enim in planicie AB (Fig. 20.) excitata turris AC, erit ob angulum ad A rectum BC  $\triangleright$  AB, unde spectator ex puncto B distinctius atque adeo citius videbit radicem turris A minori, quam ejus verticem.

C ma-

C majori a se intervallo distantem. Nos vero contrarium experimur: igitur curvam esse teluris superficiem indubitatum est; cumque pars turris eo, constanti proportione, major emineat, quo fuerit distantia spectatoris ab illo minor, superficies aut sphærica sit oportet, aut non multum certe a sphæra absit.

2. *Observat.* Eadem stellæ, in quacunque cœli plaga, sive in oriente, sive in meridie, sive in occidente aspexeris, ejusdem semper videntur esse magnitudinis, adeoque pari a nobis undique intervallo distare; igitur motus earum adparet esse circularis, & pariter cœlum, quemadmodum tellus, sphæra.

3. *Coroll.* Merito itaque & cœlum & terram artifices repræsentant globis, quorum alterum terrestrem, cœlestem alterum dicimus.

4. Utriusque hujus globi imaginem refert sphæra, quam *armillarem* adpellant; estque effigies globi undique pertusi, ex circulis veluti armillis composita, atque ad siderum motus explicandos apta.

## §. II.

### DE PARTIBUS SPHÆRÆ ARMILLARIS.

5. Centrum sphæræ globulus occupat, qui nostram tellurem refert.

6. Recta per istud centrum transiens, circa quam sphæra volvit, *axis mundi* adpellatur.

7. Axeos hujus extrema *poli mundi* dicuntur: alter *polus arcticus* ab *aegaeos*, ursa, constellatione cœlesti eidem polo vicina. Dicitur idem & *se-*

*ptentrientalis* a septem illius ursæ stellis, itemque a vento Borea borealis. Alter eidem oppositus *antæcticus* ab Austro *australis*, a situ vero respectu nostri polus *meridionalis* adpellatur.

8. Sphæræ circuli duplicis generis sunt: *maximi*, & *minores*. Círculus *maximus* est qui idem, quod Sphæra, centrum habet, eamque in partes æquales dividit: *minor*, cuius centrum euidem in axe mundi, attamen a sphæræ centro diversum est. *Maximos sex* admodum numeramus in sphæra, scilicet *Aequatorem*, *Eclipticam*, *Coluros binos*, *Horizontem*, & *Meridianum*: *minores* quatuor, duos *Tropicos*, totidemque *Polares*.

9. Coroll. Circuli itaque *maximi* ejusdem sphæræ omnes inter se æquales sunt.

10. Polus circuli adpellatur illud superficieï sphericæ punctum, ex quo circumferentia dati circuli descripta esse concipitur, & a quo singula illius puncta pari intervallo distant.

11. Coroll. Habet igitur quilibet circulus suum in sphæra polum.

12. Cujusvis circuli sive maximus fuerit, sive minor, peripheria in 360 partes æquales, quos gradus dicimus. dividitur. Gradum porro in partes 60 itidem æquales quas minuta prima, minutum primum in totidem secunda, secundum in totidem tertia &c. dividimus. Gradus circello, minuta prima virgula una, secunda binis, tertia ternis versus dextram supra scriptis notare consuevimus. Unde  $359^{\circ} 59'$ .  $60''$  leges: trecenti & quinquaginta novem gradus,

*gradus*, quinquaginta novem *minuta prima*, & *sexaginta secunda*.

13. *Coroll. 1.* Est itaque gradus ( $\frac{1}{360}$ ) pars trecentesima sexagesima circuli, minutum pri-  
mum v. g. æquatoris ( $\frac{1}{60}$ ) pars sexagesima unius  
gradus, minutum secundum  $\frac{1}{60}$  unius primi &c.

14. *Coroll. 2.* Circulus maximus minorem  
*non numero graduum, sed magnitudine eorundem su-*  
*perat.*

### §. III.

## DE SPHÆRÆ CIRCULIS SINGI- LATIM.

15. *Æquator* est circulus maximus ex alter-  
utro mundi polo descriptus, qui sphæram in  
hemisphærium boreale & australe dividit. A nau-  
tis *linea*, ab astronominis *circulus æquinoctialis* ad-  
pellatur, quod sole ad eum delato dies nocti-  
bus æquales per totum orbem sint.

16. *Coroll.* Uterque igitur mundi polus un-  
dique ab æquatore quadrante circuli, seu  $90^\circ$   
distat.

17. *Ecliptica* est circulus maximus æquato-  
rem oblique secans in punctis e diametro sibi  
oppositis, quem quidem centrum Solis nunquam  
egreditur, unde & *viam Solis* appellant, qui  
unum fere gradum in illa quotidie *ab occasu in*  
*ortum motu proprio* progreditur.

Eclipticæ nomen ab eclipsibus natum est,  
quæ non contingunt, nisi & sol & luna in pla-  
no hujus circuli, vel prope illud versentur.  
Inclinatur hæc ecliptica ad æquatorem sub an-  
gulo circiter  $23^\circ. 29'$ .

A 3

18. *Coroll.*

18. Coroll. Puncta intersectionum eclipticæ hujus & æquatoris semicirculo seu  $180^{\circ}$  a se distant.

Ecliptica hæc per medium cujusdam veluti fasciæ aut zonæ producta concipitur, quæ octo circiter utrinque gradus lata est, & *Zodiacus* appellatur. Hanc zonam nullus unquam planetarum egreditur.

19. Dividitur ecliptica in duodecim signa, signum quodvis vero rursus in  $30^{\circ}$ .

Verna sunt	Aries,	Taurus,	Gemini
Æstiva	Cancer,	Leo,	Virgo
Autumnalia	Libra,	Scorpus,	Arcitenens
Hyemalia	Caper,	Amphora,	Pisces

*Ascendentia* dicuntur  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ , in quibus nimirum Sol, a meridie versus septentrionem ascendit.

*Descendentia*  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ , in quibus sol a septentrione versus austrum regreditur.

Porro  $\beth$ ,  $\beth$ ,  $\beth$ , &  $\beth$  quatuor eclipticæ puncta cardinalia appellantur, & illa quidem æquinoctialis, hæc vero solstitialia. *Æquinoctium* enim vernum sole ad punctum  $\beth$  die 21 Martii, *autunmale* vero sole ad  $\beth$  delato 23 Septembribus contingit.

*Solstitium æstivum* in  $\beth$  die 22 Junii, ubi populis borealibus dies longissima est, *hyemale* in  $\beth$  die 22 Decembris, ubi dies populis australibus est longissima, accidit.

20. Coluri

20. *Coluri* sunt duo circuli maximi ad angulos rectos se intersecantes in polis mundi: alter *æquinoctialis* per utrumque punctum *æquinoctiale*  $\gamma$  &  $\omega$ , alter *solstitialis* per utrumque punctum *solstitiale*  $\sigma$  &  $\lambda$  transit.

21. Duo *Tropici* sunt circuli minores ex mundi polis descripti, quos ultra nunquam sol ab æquatore sive ad Boream, sive ad Austrum declinat. Alter *tropicus cancri* dicitur, tangens eclipticam in puncto  $\sigma$ : alter *tropicus capricorni* eandem tangens in puncto  $\lambda$ , uterque  $23^{\circ} 29'$  citer ab æquatore distant, secantque colurum solstitialem in iisdem eclipticæ punctis solstitiis.

22. *Coroll. 1.* Igitur colurus solstitialis per utrumque eclipticæ polum transeat necessum est.

23. *Coroll. 2.* Eiusdem coluri solstitialis arcus æquatorem inter & eclipticam interceptus metitur angulum inclinationis eclipticæ ad æquatorem.

24. *Circuli polares* dicuntur duo minores illi circuli, qui ex mundi pariter polis descripti, tanto ab iisdem undique intervallo distant, quanto tropici ab æquatore (n. 21.).

25. *Coroll. 1.* Igitur tam tropici quam polares æquatori paralleli sunt.

26. *Coroll. 2.* Quoniam polus circuli maximi ab illius peripheria undique quadrante distat, polos eclipticæ ibi reperies, ubi colurus solstitialis polares fecat. Et polum borealem quidem, ubi polaris borealis intersecat coluri semicirculum transeuntem per signum  $\lambda$ ; australem vero, ubi

polaris australis semi circulum coluri per signum  
Σ transeuntem intersecat.

27. *Horizon* est circulus maximus sphæram  
dividens in duo hemisphæria, alterum *superius*,  
nobisque conspicuum, alterum *inferius*, & a  
conspicu nostro aversum.

Non difficulter horizontem ab aliis artificia-  
lis sphæræ circulis distingues; est enim latus  
ille circulus immobilis intra cujus crenas sur-  
sum atque deorsum verti meridianus æneus  
cum omni reliqua sua sphæra potest. Diversos  
is sibi circulos inscriptus habet. 1. Circulum in  
suos quadrantes divisum, mensurando potissi-  
mum (de quo deinceps) azimutho destinatum.  
2. *Eclipticam*, cui & nomina 12 Signorum cœ-  
lestium, & characteres adscripti sunt. 3. *Calen-  
darium* in menses ac dies distinctum, atque illud  
ordinarie duplex, alterum *Gregorianum* seu *novum*,  
in quo initium γ respondet diei 21. Martii: al-  
terum *vetus*, sive *Julianum*, in quo ejusdem signi  
initium diei mensis Martii 10 respondet. 4.  
*Mundi plaga.*

Sed & in sphæra naturali horizontem levi  
negotio distinguimus; in æquata enim & spa-  
tiola planitie constituti ingentem circa nos undique  
circulum videmus, qui cœlum veluti  
terrae jungit, nostrumque prospectum omni ex  
parte terminat.

28. *Poli Horizontis Zenith & Nadir* nominan-  
tur ab Arabis. Est vero Zenith illud cœli pun-  
ctum, quod cujuscunque seorsim vertici recta  
& perpendiculariter imminet, ac punctum verti-  
cale

*cale adpellatur.* Huic e diametro oppositum *Nadir*, a nonnullis punctum pedale dicitur.

COROLL. 1. *Igitur ZENITH, & NADIR undique*  $90^\circ$  *sive quadrante circuli ab horizonte distant.*

COROLL. 2. *Respectu ejusdem terrae puncti horizon semper idem, & immobilis est.* Quemadmodum vero infinita sunt in superficie terrestri puncta, ita infiniti quoque sunt horizontes necessum est, ut adeo v. g. ambulantium in campis, aut per mare navigantium aliud atque aliud in momenta singula sit horizon, aliud Zenith, aliud Nadir.

29. Horizontem porro duplicem consideramus in sphæra naturali, verum scilicet sive rationalem, & horizontem sensibilem.

*Horizon verus* est circulus maximus per centrum terræ transiens, & consequenter sphæram dividens in duas partes æquales; dicitur & rationalis, eo quod solo intellectu nostro concipiatur. *Horizontis ejusmodi veri* diametrum representat Linea A B (fig. 21.)

*Horizon sensibilis* est circulus minor, horizonti vero parallelus, dividens sphæram in partes inæquales, & superficiem terræ tangens in uno puncto m, quod linea verticali E f, seu per Zenith E & centrum terræ C transeanti respondet; *Horizontis hujus sensibilis* diametrum repræsentat linea H O.

*Differentia* igitur inter horizontem verum, & sensibilem est semidiameter terræ c m, quam ad immensam illam cœlorum undique distantiam si retuleris, evanuit plane, & instar puncti se habet.

COROLL. 1. Itaque horizon ille, qui sub sensus cadit, assumi pro vero & rationali ciura erroris periculum potest, saltem ubi de stellis fixis agitur infinito propemodum a nobis intervallo remotis.

COROLL. 2. De planetis telluri uique propioribus aliter se res habet. Oculus enim in centro terrae c collocatus referret lunam in puncto orbitae sua l versantem ad punctum caeli n, dum eandem oculus in superficie m positus videret in puncto o. Erit igitur punctum caeli n, in quo luna ex terrae centro sp. stata adparcat, LOCUS D VERUS; punctum o vero, in quo eodem momento adparet visa ex puncto superficie terrestris m LOCUS D ADPARENTIS. Atque haec LOCUM astri VERUM INTER ET ADPARENTEM DIVERSITAS PARALLAXIS adpellatur, angulus vero ille, quem linea c n & m o in l se interfecantes efficiunt, dicitur ANGULUS PARALLACTICUS.

COROLL. 3. Parallaxis igitur sidera deprimit versus horizontem, eoque magis, quo sidus telluri nostrae propinquius est. IDEM VERO SIDUS eo majorem habet parallaxin, quo vicinus est horizonti, & me non admonente tiro intelliget, sidera in Zenith constituta omni parallaxi carere, ubi linea n c cum linea c E congruit utraque per puncta s, c & m transeunte.

COROLL. 4. In planetis igitur terrae vicinioribus discriminis inter horizontem rationalem & sensibilem habenda est ratio.

30. Circulus verticalis (qui & azimuthalis nuncupatur) est circulus maximus per polos horizontis Zenith, & Nadir transiens.

COROLL. 1. Est itaque circulus verticalis pariter ut horizon identidem MUTABILIS

COROLL. 2. Poli ergo circulorum verticalium in horizonte sunt.

SCHOL.

**SCHOL.** In sphæris arte factis plerunque hujus circuli duntaxat quadrans in puncto Zenith ope cochleæ meridiano æneo adnectitur, in omnem partem circa id mobilis.

31. *Plaga mundi* est punctum horizontis a circulo verticali intersectum. Triginta & duæ ejusmodi plagæ numerantur universim. Quatuor ex illis dicuntur puncta horizontis cardinalia, nimirum bina, in quibus horizontem meridianus secat NORD versus Boream, & SUD versus austrum. Bina item, in quibus horizon secatur a circulo verticali primario, seu illo, qui in puncto Zenith cum meridiano efficit angulum rectum, ac proinde per nonagesimum horizontis gradum utrinque transit, OST versus orientem, WEST versus occidentem.

Quæ inter duo quævis puncta horizontis cardinalia interjacent plagæ, *intermediæ*, seu recepto vocabulo, *collaterales* vocantur. Primarias quatuor numeramus, nimirum NORD-Ost, SUD-Ost, NORD-West, SUD-West a punctis cardinalibus distantes gradibus  $45^{\circ}$ .

Secundariae primi ordinis plagæ sunt NORD-NORD-Ost. NORD-NORD-West. Ost-NORD-Ost. Ost-SUD-Ost. SUD-SUD-Ost. SUD-SUD-West. West-SUD-West. West-NORD-West. Quæ octo plagæ a cardinali & vicina primaria  $22^{\circ} . 30'$  intervallo utrinque distant.

Secundi ordinis sunt mediae inter aliquam cardinaliem, & primariam, vel secundariam primi ordinis  $11^{\circ} . 15'$  intervallo ab iisdem distantes, & quidem in primo horizontis quadrante: NORD-

GEN-

GEN - OST. NORD - OST - GEN - OST. NORD -  
OST - GEN - NORD. OST - GEN - NORD.

*In secundo quadrante: OST - GEN - SUD. SUD -  
OST - GEN - OST. SUD - OST - GEN - SUD. SUD -  
GEN - OST.*

*In tertio quadrante: SUD - GEN - WEST. SUD -  
WEST - GEN - SUD. SUD - WEST - GEN - WEST.  
WEST - GEN - SUD.*

*In quarto quadrante denique: WEST - GEN - NORD.  
NORD - WEST - GEN - WEST. NORD - WEST -  
GEN - NORD. NORD - GEN - WEST.*

SCHOL. *Iisdem bisce nominibus adpellantur venti  
ab illis plagis flare soliti, quorum nomina & ordinem  
ROSA VENTORUM, seu ROSA NAUTICA exhibet map-  
pis geographicis, & potissimum hydrographicis pasim  
adpingi solita.*

32. *Meridianus est circulus maximus per  
utrumque mundi polum & cuiuslibet loci Ze-  
nith & Nadir transiens, ac sphæram dividens  
in hemisphæriū orientale, & occidentale.*

COROLL. 1. *Meridianus itaque horizontem in  
binis punctis cardinalibus ad angulos rectos intersecat.*

COROLL. 2. *Quemadmodum horizon, ita &  
meridianus in momenta mutabilis & sive versus orien-  
tem sine versus occidentem progredientibus aliis atque  
alius est. Tot igitur concipere animo in sphæra meri-  
dianos possumus, quot dantur puncta in æquatore.*

SCHOL. 1. *In globis artificialibus, confusionis vi-  
tanda gratia, meridianos vel per quinos duntaxat quo-  
que æquatoris gradus, vel per singulas omnino gra-  
duum decades descripere artifices. Quin meridianorum  
omnium in illis vices percommode agit meridianus æneus,  
intra*

*intra quem sphæra suos circa polos volvit, ipso, nisi quod intra horizontis crenas ad tolli deprimique possit, orientem & occidentem versus constanter immobili.*

SCHOL. 2. *Vocatur hic circulus MERIDIANUS, eo quod sole ad ejus semicirculum superiorem delato nobis sit meridies, ad inferiorem vero si devenerit populis meridiem adferat nobis e diametro oppositis.*

COROLL. 3. *Unde si ipsa meridiei hora mente circulum maximum concipias per Zenith simul & centrum Solis productum, ipsissimus is erit NATURALIS SPHÆRÆ meridianus.*

#### §. IV.

#### DE VARIO SPHÆRÆ SITU.

33. Situs sphæræ suum ab angulo fortitur nomen, quem æquator cum horizonte constituit. Quoniam vero locus quilibet suum in sphæra veluti Zenith occupat, alia aliis populis identidem sit positio sphæræ necessum est.

Itaque *Sphæra recta* est populis sub ipso æquatore habitantibus; quando enim hic per Zenith seu punctum verticale transit, *angulos cum horizonte utrinque rectos* constituit, & uterque horizonti incumbit polus.

Sub ipsis polis habitantibus *Sphæram parallelam* esse debere, perspicuum est; Polis enim punctum Zenith obtinentibus eodem æquator, quo horizon, intervallo, nimirum  $90^{\circ}$  undique ab illo distabit; erit igitur *horizonti parallelus*. Populis, qui extra polos, & extra æquatorem habitant, omnibus *Sphæra obliqua* est; Quod enim cunque aliud sphæræ punctum in ipso vertice colloca-

locaveris, æquator cum horizonte semper angulos deinceps inæquales, id est, obliquos, efficiet.

## §. V.

## DE DIEBUS, HORIS ET MENSIBUS.

34. Dies alias *naturalis*, alias *artificialis* distinguitur. *Naturalem* dicimus integrum conversationem sive periodum Solis a meridiano nostro ad eundem redeuntis. Dies hæc *naturalis* in horas viginti & quatuor dividitur, quas astronomi numerare non a medio noctis, sed a meridie incipiunt.

COROLL. I. Est igitur alias dies *naturalis civilis*, alias *astronomicus*. *Civilis* est, qui media quavis nocte, sole in meridiano hemisphærii oppositi versante initium dicit numerandi horas, horisque bis duodecim definitur, quarum priores a media nocte ad meridiem numeratas *anteridianas*, seu *matutinas*; posteriores vero a meridie ad medium noctem *pomeridianas*, seu *vespertinas* adpellant, ita, ut post duodecimam meridianam rursum computare horas ab hora prima incipient.

Dies *astronomica* est, quæ initium habet, dum centrum Solis meridianum cuiusvis loci proprium adtingit, finiturque, dum facta integra circa tellurem revolutione adparente ad eundem Sol meridianum reddit. Tempus totius hujus periodi, in 24 partes divisum, horas suppeditat, serie non interrupta, nullaque aut diei aut noctis habita ratione numeratas. Unde non difficulter utique intelliges, quid discriminis *civilem* inter

ter & astronomicam diem intercedat. Nam 1. claram est, horas *pomeridianas* diei civilis esse nihil admodum ab astronomicis diversas, eandemque semper esse a meridie mensis diem astronomicam, & civilem: Contra horas diei civilis *matutinas*, quæ astronomicis sunt 13. 14. 15. 16. &c. his esse horas diei civilis præteritæ.

Sic v. g. 20 Junii, hora 2da matutina astronomicis est 19. Junii hora 14 &c.

COROLL. 2. Hora est ( $\frac{1}{24}$ ) pas vigesima quarta diei naturalis. Hora vero quævis in  $60'$  minuta prima, quodvis minutum primum in  $60''$  minuta secunda, quodvis secundum in  $60'''$  tertia, atque sic porro, dividitur. Unde minutum temporis primum est  $\frac{1}{60}$  unius horæ: minutum secundum  $\frac{1}{60}$  unius minutus primi &c.

35. Dies *artificialis* est mora Solis supra horizontem, quæ & in eodem loco, & in diversis diversa est, ac varia.

36. *Hora primi mobilis* adpellatur  $\frac{1}{24}$  illius motus, quo totum cœlum cum omnibus fixis a meridiano ad eundem reddit.

Mensura hujus motus est æquator, ita, ut spatio unius horæ transeant per meridianum  $15^{\circ}$  æquatoris. Unde intra  $4'$  minutu temporis unus transeat æquatoris gradus necessarium est & intra  $1'$  temporis transibunt  $15''$  æquatoris; intra  $1''$  temporis transibunt  $15'''$  æquatoria.

37. Mensis est fere  $\frac{1}{12}$  unius anni; neque enim menses dierum inter se numero æquales sunt; sed alii 30, alii 31, Februarius porro jam 28, jam 29 dies complectitur.

38. An-

38. *Annus astronomicus* circa diem 21 Martii incipit, Sole signum arietis ingrediente. Est igitur sequens & mensium, & signorum ordo, in qua tabula cuilibet mensi respondentem dierum numerum *inscriptum*, respondens Zodiaci signum vero *subscriptum* leges.

Num. dierum	31	30	31	30
Nomen Mensis	Mart.	Aprilis	Majus	Junius
Sign. respond.	V	V	II	S
Num. dierum	31	31	30	31
Nomen Mensis	Julius	August.	Sept.	Octob.
Sign. respond.	Ω	W	—	m
Num. dierum	30	31	31	28 vel 29
Nomen Mensis	Nov.	Dec.	Jan.	Febr.
Sign. respond.	Z	Z	III	X

Ut vero intelligas circa quem mensis diem Signum respondens ingrediatur Sol, in memoriae subsidium paucos versiculos nonnemo tironum commodo paravit. En illos.

Unum dant *Aries*, *Taurus*, dat *Aquarius* unum  
Dant *Gemini* geminos, *Cancer*, quibus addito  
*Caprum*.

Tres *Leo*, tres *Virgo*, tres *Pondo*, tresque  
*Sagita*.

*Scorpius* at quatuor: sed binos demito *Pisci*.

In quibus versiculis *unum*, *geminos*, *tres*, *qua-*  
*tuor* ultra diem mensis *vigesimam* intelliges.

## SECTIO II.

### DE MUNDO GENERATIM.

39. *Mundi nomine totum hoc universum*  
*venit, quod cœlum & terram complectitur.*

40. In

40. In cœlo sidera & siderum motus ac phænomena etiam geographus considerat, quatenus ad explicandas proprietates telluris servient.

41. Quæ circa hoc universum versatur scientia, cosmographia adpellatur, sive totius mundi descriptio.

COROLL. Cosmographiae igitur partes & astronomia, & geographia conficiunt.

SCHOL. In istiboc quidem opusculo ea duntaxat veluti delibabo, quæ ad elementa pertinent, & ad geographiam elementarem necessaria esse videbuntur.

### §. I.

## DE COELO ET EJUS PARTIBUS.

42. Cælum adpellamus corpus illud subtile, liquidum, pellucens, infinito circa nos undique spatio diffusum, & luci & astris omni ex parte pervium.

43. Astra in stellas fixas & errantes dividunt astronomi.

44. Stellæ fixæ veluti totidem soles sunt, proprio fulgentes lumine. Fixæ dicuntur, non quod penitus quiescant; moventur enim motu duplice; altero communi cum toto cœlo ab oriente versus occidentem intra horas 24 periodum suam absolvunt, qui dicitur *motus raptus*. Altero proprio orientem versus circa polos eclipticæ, eoque tardissimo, ut adeo secundum Tycho Brahé, astronomi celeberrimi, calculum periodum hoc motu suam post annos 25,816

denique absolvant : sed dicuntur fixæ, eo quod eandem inter se distantiam servent semper.

45. Totum cœlum stelliferum in varias constellationes divisum est. Est vero *Constellatio certus stellarum fixarum numerus*, quem animalis v. g. aut alterius rei figura determinat illarum ambitu definita.

46. Regionem cœli, quæ fixarum veluti domicilium est, *firmamentum* dixere.

47. De fixarum & *distantia* & *magnitudine* nihil admodum certi constat, probabile est, non omnes pari a nobis intervallo distare, sed esse alias aliis propinquiores, quamquam & istarum distantia propemodum infinita sit oportet, quando fixarum parallaxin aliquam nulla unquam astronomorum industria detexit.

Nihilominus stellarum fixarum aliæ aliis maiores, aliæ minores, aliæ lucidiores, aliæ minus lucidæ adparent: unde inter fixas primæ, secundæ, tertiae, quartæ, quintæ & sextæ magnitudinis discernimus.

48. *Planetæ* sunt corpora cœlestia, quæ suam & inter se, & a fixis distantiam constanter mutant. Distinguuntur in *majores*, seu inermi oculo conspicuos, & *minores*, quos quidem oculus non nisi tubo optico armatus videt. Planetæ majores *septem* numerantur. En eorum nomina, & signa.

☿ ♁ ♀ ☽ ☿ ☽ ☽  
Saturn. Jupiter, Mars, Sol, Venus, Merc. Luna.  
Minores novem, *satellites*, vel etiam *lunulas* nuncupant.

cupant. Quatuor *circa Jovem*, *circa Saturnum* quinque in sua quisque orbita moventur.

Sol inter planetas solus & lumen habet proprium, & ceteris omnibus pro diversa singulorum eorum corporum a se distantia aliis parcus, largius aliis communicat.

## §. II.

## DE SPHÆRA SEU GLOBO COELESTI SPECIATIM.

49. *Globus cœlestis* est globus artificialis suis constellationibus distinctus, atque ad motum primi mobilis explicandum aptus.

50. Præter eos, quos Sect. I. §. II. & III. descripsimus, circulos exprimi quoque solent in globo hoc cœlesti *circuli latitudinum*, *circuli horarii seu declinationum*, *circulus azimuthalis*, *circuli almutanbarat*, & *circuli diurni*.

51. *Circulus latitudinis* est circulus maximus per utrumque eclipticæ polum productus, & eclipticam proinde secans ad angulos rectos.

COROLL. Tot igitur *circuli latitudinum* duci possent, quot sunt puncta eclipticæ. Plerumque tamen illi duntaxat exprimuntur, qui per initia signorum transeunt. Unde sunt 12 semicirculi, & totidem spatia ab iisdem definita *ðωδεκτεμορφα* adpellantur.

52. *Circuli horarii seu declinationum* sunt circuli maximi per polos mundi seu æquatoris ducti, quorum omnium vices subire solet meridianus æneus.

B 2

53. Cir-

53. *Circulus azimuthalis*, qui & *verticalis* dicitur, est circulus maximus per polos horizontis sive zenith & nadir transiens. (n. 30.) Qui per 90 horizontis gradum transit, *verticalis primarius* adpellatur.

54. *Almucanharat* sive *circuli altitudinum* sunt circuli minores paralleli cum horizonte, ac proinde ex zenith & nadir tanquam polis descripti, per singulos azimuthalis circuli gradus, quem ad angulos rectos intersecant, transeuntes.

SCHOL. *Circulorum almucanharat* imaginem habes in *sphæra parallela* (n. 33.) in qua ♂ polaris uterque, & uterque tropicus circuli simul almucanharat sunt.

55. *Circuli diurni* sunt circuli cum æquatore paralleli per singulos eclipticæ gradus ducti.

SCHOL. Quoniam sol non quotidie gradum præcisè integrum anno suo versus orientem itinere conficit, perspicuum est, circulos diurnos non esse æquatori mathematicæ parallelos, sed non nihil ad eundem inclinatos esse debere, & ab æquatore versus polos in modum spiræ torqueri.

COROLL. *Hinc horæ primi mobilis* (n. 36.) semper æquales: at horæ solares inter se inæquales, & illis longiores sunt; neque enim æqualibus temporibus æquales semper eclipticæ partes per meridianum transeunt, sicuti tamen transeunt æquales partes æquatoris; unde nec anni civilis dies inter se esse æquales possunt; quamquam hæc inæqualitas maximam partem ex eo repetenda est, quod sol in excentrico moveatur. Est vero hæc dierum, & horarum præcipue, inæqualitas tam exigua, ut facile neminem advertat, præterquam astronomos.

Lucu-

Luculentior multo dierum & noctium est inæqualitas, quæ quo pæsto *sectionibus circulorum diurnorum & horizontis* respondeat, tironi breviter explicandum esse putavi, antea tamen admonito, circulis hisce omnibus addi præterea posse *circellum horarium cum suo indice*, qui, et si ad sphærā non pertineat, in usu tamen utriusque sphæræ artificialis permultum habet comodi.

Est vero *circellus horarius* circulus minor extra sphærā ipsi meridiano æneo adnexus, & a polo mundi undique æquidistans, atque in bis duodecim horas divisus, quas index signat mundani axis extremitati, seu polo tanquam centro firmiter inhærens, & cum sphæra circa eundem mobilis.

### §. III.

## DE DIERUM ET NOCTIUM VARIA LONGITUDINE ET INÆQUALITATE.

56. In *sphæra recta* (n. 33.) dies noctibus toto anni tempore æquales sunt; secat enim in hac sphæra horizon circulos diurnos in *partes*, superiorem & inferiorem, *æquales*:

57. In *sphæra obliqua* usque ad circulos polares per totum anni tempus dies noctibus inæquales sunt *extra æquinoctia*; secat enim in hac sphæra horizon circulos diurnos omnes, solo æquatore excepto, *in partes inæquales*, hæcque partium inæqualitas eo major est, quo major est altitudo poli, seu distantia ejusdem ab horizonte, quæ si fuerit =  $66^{\circ} 30'$ . horizon non jam secabit,

B 3

sed

sed in unico duntaxat punto tanget utrumque tropicum, & totus tropicus in hemisphaerio superiori extabit, altero tropico & latente penitus sub horizonte. In hac igitur sphæra dies longissima 24 horas duret necessum est, & totidem nox longissima. Borealibus quidem in signo versante dies, illo ad signum & ri delato, nox longissima: australibus vero vicissim.

58. SCHOL. *Me non monente facile forsitan tiro intelliget, circulos diurnos EQUIDISTANTES ab æquatore ita secari ab horizonte in sphæra obliqua, ut pars cuiuscunq[ue] circuli borealis SUPRA HORIZONTEM EMINENS æqualis sit parti circuli australis ab æquatore æquidistantis INFRA HORIZONTEM LATENTI, & vicissim.*

COROLL. 1. *Sub parallelis itaque æquidistantibus ab æquatore qui habitant populi, ita inter se mutant dierum noctiumque vices, ut quando borealibus longissima dies est, nox longissima sit australibus, & vice versa &c.*

COROLL. 2. *Populi, qui sub parallelis habitant, quorum distans ab æquatore majus est  $66^{\circ} 30'$ . usque ad ipsos polos, plures numerent necessum est continuas sine nocte dies, pluresque continuas sine die noctes; in hac enim sphærae positione ita ecliptica in duobus punctis secatur ab horizonte, ut illius pars altera nunquam occidat, nunquam eriatur altera; eo quod circuli diurni per illa duo eclipticæ puncta ducti se totis emineant supra, simulque se totis lateant sub horizonte.*

59. *In sphæra parallela unica duntaxat dies, unicaque per annum nox est, duodecim mensibus diem noctemque inter ex æquo divisit; In hac enim sphæra horizon eclipticam in punctis æquinoctialibus bifariam dividit, nullumque ex diurnis intersecat. Morabitur itaque sex signa borea-*

*borealia percurrens supra, sex australia vero per-  
agrans infra horizontem.*

## §. IV.

## DE DILUCULO ET CREPUSCULO.

60. *Crepusculum generatim lux illa subdubia  
est, qua & ante ortum, & post occasum solis re-  
splendet aer.*

Illud *matutinum*, seu *Auroram* dicimus; istud  
*vespertinum*, seu, nullo adjecto alio nomine, *cre-  
pusculum*.

61. *Aurora incipit & crepusculum desinit  
sole 18° infra horizontem depresso.*

62. Mensurantur vero hi gradus in quadran-  
te circuli verticalis transeunte per nadir loci &  
centrum solis; per quod ipsum, & 18 verticalis  
gradum transire circulum almucanthalat si con-  
cipias, erit is *circulus crepusculi*.

SCHOL. *Quoniam infra horizontem numerare gra-  
duis, & puncto nadir verticalem adnectere perincommo-  
dum est, rem absolvit commodius posse, in solutionibus  
problematum declarabimus.*

COROLL. *Cum ordinarie ad diem artificialem re-  
ferri & aurora soleat, & crepusculum, noctis nomine  
nonnisi, TENEBRAE venient; unde v. g. in sphæra pa-  
rallela, seu sub polis habitantibus multo longior est nocte  
dies.*

63. Pro dierum naturalium, & sphæræ po-  
sitionis diversitate, diversa quoque & in eodem  
loco, & in diversis, est crepuscularum duratio.

## SECTIO III.

DE USU UTRIUSQUE GLOBI  
ARTIFICIALIS.

## PRÆFATIUNCULA.

Magnopere mihi præmonendus hic quidem tiro est, ut, quas hoc paragrapho subjungam, definitionibus non modo intellegendis, verum ipsi adeo memoriae mandandis, omni incumbat cura, certus, neutram fore, ut sui eum quantuli-demum cunque laboris debeat pœnitere; Ejus enim naturæ sunt hæc definitiones, ut *recte animo tenere definitionem, & soluisse problema*, in plerisque certe de isthoc genere quæstionibus, propemodum idem esse videatur.

Præceptores sive publici illi fuerint, si-  
ve privati, haud pœnitendum operæ suæ  
pretium tulisse se fatebuntur, si, antequam  
ad solvenda problemata properaverint, in  
hac ipsa cum adolescentibus suis fuerint  
exercitatione quam diligentissime versati.

## §. I.

DEFINITIONES PRO USU GLOBI  
COELESTIS PRÆNOSCENDÆ.

64. DEFIN. I. *Longitudo stellæ*, seu puncti cuiuscunque cœlestis est arcus eclipticæ ab  $\gamma$  versus ortum computatus usque ad circulum latitudinis (n. 51.) transeuntem per datum punctum vel stellam, cuius longitudo queritur.

COROLL.

COROLL. *Hinc stella dicitur in eo ecliptice puncto versari, in quo circulus longitudinis per stellam ductus secat eclipticam.*

SCHOL. ORTUM VERSUS, IN CONSEQUENTIA, SECUNDUM SERIEM SIGNORUM, quod ita exprimunt: *SSS*, phrasēs receptae sunt, eademque est singulis subiecta notio.

65. DEFIN. II. *Latitudo stellæ est arcus circuli latitudinis, (qui idem est circulus longitudinis) (n. 51.) inter eclipticam & datam stellam interceptus.*

COROLL. *Duplicis itaque generis latitudo est, alia BOREALIS, AUSTRALIS alia.*

66. DEFIN. III. *Ascensio recta stellæ est arcus æquatoris ab initio v SSS usque ad circulum declinationis computatus. (n. 52.)*

Clarius: est arcus æquatoris ab v SSS usque ad illud punctum, quod in omni sphæra cum stella culminat, seu sub meridiano est, computatus.

SCHOL. Dicitur ASCENSIO RECTA, quia hoc ipsum æquatoris punctum cum stella oriente oritur. A puncto æquatoris, quod cum stella occidente occidit nomen habet DESCENSIO RECTA.

COROLL. I. *Ascensio igitur vel descensio obliqua stellæ est arcus æquatoris ab v SSS usque ad punctum illud æquatoris numeratus, quod in sphæra obliqua cum stella oriente oritur, vel cum occidente occidit.*

COROLL. II. *Differentia ascensionalis, vel descensionalis est arcus æquatoris qui prodit subtracta invicem ascensione vel descensione recta & obliqua.*

67. DEFIN. IV. *Declinatio stellæ est arcus circuli declinationis (n. 52.) æquatorem inter & datam stellam interceptus.*

COROLL. *Igitur duplex est declinatio: BOREALIS alterea, altera AUSTRALIS.*

68. DEFIN. V. *Altitudo stellæ est arcus circuli verticalis (n. 53.) horizontem inter & stellam interceptus.*

COROLL. *ALTITUDO POLI itaque est arcus meridiani, (qui itidem verticalis est, utpote per zenith & nadir transiens) inter polum & horizontem interceptus.*

69. DEFIN. VI. *Azimutum stellæ est arcus horizontis inter meridianum & circulum verticalem interceptus, qui per stellam transit.*

COROLL. *Quoniam horizon in semicirculum orientalem & occidentalem, & quilibet semicirculus rursum in quadrastem borealem & australem dividitur, perspicuum est, azimutum esse vel orientale, vel occidentale, boreale, vel australe posse, prout circulus verticalis per stellam ductus bunc vel illum horizontis quadrantem intersecuerit.*

70. DEFIN. VII. *Amplitudo ortiva vel occidua stellæ &c. est arcus horizontis inter punctum verticalis primarii (n. 53.) & punctum in quo stella oritur, vel occidit, interceptus.*

COROLL. *Utraque igitur duplex est BOREALIS, in semicirculo horizontis boreali, AUSTRALIS in australi.*

71. *Triplex stellarum ortus & occasus ab astronomis distinguitur: Cosmicus, acronychus, & heliacus. Ortus vel occasus cosmicus dicitur, si sole oriente stella oritur vel occidit.*

Or.

*Ortus vel occasus acronychus adpellatur, si sole occidente stella oritur vel occidit.*

*Ortus vel occasus stellæ heliacus nuncupatur, quando stella e radiis solaribus emergit, vel illis immixtum. Si nimirum ☉ ad stellam ante conspicuum proprius accedit, quam ut per radios illius inermi oculo videri post ☉ is occasum possit, dicitur stella heliacae occidere. Si vero e radiis solis rursum emergit ut prope horizontem vel ante ☉ is ortum, vel post ejus occasum denuo possit conspiciri, dicitur heliacae oriri.*

72. DEFIN. VIII. *Arcus visionis sive fulsionis est profunditas ☉ sub horizonte, ad quam cum is pervenerit, stella conspicua fieri incipit, sive*

*Arcus fulsionis est arcus circuli verticalis per nadir ducti horizontem inter, & illum ejusdem verticalis gradum interceptus, qui determinat profunditatem ☉ infra horizontem tantam, ut data stella heliacae oriatur, vel occidat.*

*Est vero hic arcus pro diversitate stellarum varius: nimirum*

*Pro fixis Imæ magnitudinēs - - 12°*

*II. - 13*

*III. - 14*

*IV. - 15*

*V. - 16*

*VI. - 17*

*VII. - 18, quæ est profunditas ☉ is ipsi crepusculorum initio & fini respondens, seu potius nocti.*

*Pro Planetis itidem varius hic arcus est, & quidem*

*Pro*

Pro  $\textcircled{5}$ .  $11^{\circ}$ . pro  $\textcircled{3}$ .  $11^{\circ}.30'$ . pro  $\textcircled{4}$  &  $\textcircled{5}$   $10^{\circ}$ .  
pro  $\textcircled{2}$   $5^{\circ}$ .

SCHOL. *Mercurius quoniam soli proximus est, & vel radiis proinde solaribus, vel copiosis prope horizontem vaporibus plerumque immeritus, raro in nostris quidem regionibus ob sp̄bārē obliquitatem conspicī potest, nec nisi PAULO POST OCCASUM, vel PAULO ANTE ORTUM solis oculo etiam armato videri.* Unde tritum illud: FFLIX ASTRONOMUS, QUI VIDERIT MERCURIUM. *Quamquam bodiernis quidem astronomis haud difficile, nec ita rarum est intueri mercurium, postquam ita perfecta est planetæ etiam hujus theoria, ut momenta temporis per annum adcurate præfigant, quibus instar stellæ Imæ magnitudinis sub auroram vel crepusculum planeta sic fulget, nisi intuentium oculis hoc fidus vaporum non insolita prope horizontem crassitudo subducatur.*

### §. II.

#### DEFINITIONES PRO USU GLOBI TER- RESTRIS PRÆNOSCENDÆ.

73. DEFIN. I. *Circulus longitudinis loci est circulus maximus per utrumque mundi polum transiens, ac proinde æquatorem intersecans ad angulos rectos.*

COROLL. *Tot igitur circuli longitudinum reperiuntur in globo, quot meridiani (Sect. I. §. III. n. 32. cor. 2.)*

SCHOL. *Geographi per singulos æquatoris gradus singulos meridianos seu circulos longitudinis productos esse concipiunt. Igitur inter tot unus aliquis erat plane determinandus, a quo, veluti principio, numerandi gradus longitudinis duceretur initium. Atque utinam hoc*

*Hoc in negotio inter geographos convenisset; quorum jam divisa in partes studia parem in mappas nostras geographicas intulere discordiam; alii namque bune meridianum per INSULAS FERRI, alii per AZORES, per CANARIAS alii, alii per TENERIFFAM, alii per PALMAM, per alias alii duxere; forsitan, quod putarent, acum magneticam in illis quidem locis omni declinatione carere. Utut sit, in globis terrestribus artificialibus plerisque exprimi circulo quodam crassiori & in gradus distincto meridianus hic solet, appellaturque, recepto inter geographos nomine MERIDIANUS PRIMUS.*

74. DEFIN. II. *Circulus latitudinis loci est circulus minor æquatori parallelus & meridianum intersecans ad angulos rectos.*

COROLL. *Tot igitur possumus latitudinis circulos concipere animo, quot puncta in meridiano, quorum binii quique ab æquatore æquidistantes æquales sunt.*

SCHOL. *In globis artefactis ordinarie per decimum quemque meridiani gradum ductos reperies.*

75. DEFIN. III. *Longitudo loci geographica est arcus æquatoris a meridiano primo ortum versus usque ad meridianum dati loci computatus.*

SCHOL. *Quoniam tellus nostra globosa est, uno atque eodem tempore partes illius sol nequit omnes illuminare, alias igitur atque alias illustrat sensim. Unde populis, qui respectu nostri versus orientem habitant meridiem citius, illis, qui versus occidentem, serius, ac nobis assert. Nam vero ① 24 horarum spatio per omnem telurem sese circumagens CIRCULUM INTEGRUM diurno motu, seu  $360^\circ$  percurrit, quos si 24 horarum numero diviseris, uni hora  $15^\circ$  æquatoris convenient. Unde populo  $15^\circ$  gradibus, in æquatore numerandis, a nobis*

*nobis VERSUS ORTUM distantि ⊖ una hora citius & orietur, & meridiem afferet, & occidet, populo vero 15° gradibus distantि VERSUS OCCASUM ea omnia phænomena una hora serius, quam nobis contingent.*

COROLL. *Dato igitur numero graduum, quo locus aliquis orientem vel occidentem versus a tuo distat, non difficulter intelliges, quanto temporis intervallo ibidem citius, seriusve hoc aut illud phænomenon contingit, & vicissim.*

SCHOL. 1. *Habes hic genuinam longitudinis geographicæ ideam. Plurium locorum in longitudine geographicæ differentium diversitas alias nomine DIFFERENTIA MERIDIANORUM appellatur, quæ proinde est ARCUS EQUATORIS inter duorum quorumcunque locorum meridianos interceptus.*

SCHOL. 2. *Tiro, me etiam tacente, intelligit, ex data vel COGNITA DIFFERENTIA MERIDIANORUM IN GRADIBUS erui DIFFERENTIAM MERIDIANORUM IN TEMPORE non difficili posse negotio, & vicissim. (Sect. I. §. V. n. 36.)*

76. DEFIN. IV. *Latitudo loci geographicæ est arcus Meridiani æquatorem inter & datum locum (vel potius circulum latitudinis per datum locum transeuntem) interceptus.*

COROLL. I. *Igitur duplex latitudo locorum est, alia borealis, alia australis, dividit enim æquator globum in hemispherium boreale & australe.*

COROLL. II. *Ex cognita proin alicuius loci tam longitudine quam latitudine facile reperitur locus in globo; ex longitudine enim meridianus loci, ex latitudine parallelus innotescit, uterque per datum locum tran-*

*transiens. Est igitur locus in illo superficie sp̄hericæ puncto, in quo bi duo circuli se mutuo secant.*

COROLL. III. *Populis, qui sub circulis latitudinis & equatori propinquioribus habitant, minor est dierum & noctium inegalitas, quam illis, qui habitant sub remotoribus. Unde rem adcuratius consideranti patebit, longitudinem omnium per totius anni decursum dierum totam, aequalē esse omnium simul noctium longitudini in omni sp̄bāra sive recta illa fuerit, sive obliqua, sive denique parallela.*

### DE ZONIS ET CLIMATIBUS.

77. DEFIN. V. *Zona generatim est terræ (vel etiam cœli) spatiū uno, aut binis circulis parallelis comprehensum.*

*Zona terrestris nominatim est spatiū terræ pariter uno aut duobus circulis latitudinis interceptum.*

Duplicis autem generis dantur zonæ telluris, *majores, & minores.*

*Zonæ majores quinque admodum numerantur: una torrida, duæ temperatæ borealis & australis, & duæ frigidæ, borealis item & australis.*

*Zona torrida spatiū terræ est utroque tropico interceptum. Latitudine sua  $46^{\circ}$ .  $58'$ . comprehendit.*

*Zona temperata borealis tropicum canceri & circulum polarem arcticum, australis vero tropicum capricorni inter & polarem antarcticum interjacet, lata quælibet  $43^{\circ}$ .  $2'$ .*

Zona

Zona frigida borealis circulo polari arctico,  
australis antarctico terminatur. Utriusque lati-  
tudo  $23^{\circ} . 29'$  complectitur.

Zonæ minores climata appellantur.

78. DEFIN. VI. *Clima* est terræ spatium duo-  
bus parallelis tanto a se intervallo distantibus  
interceptum , ut dies longissima in parallelo  
seuentे incipiat esse semihora longior , quam  
in præcedente , ubi etiamnuc tardius crescunt  
dies ; ubi vero hi crescunt celerius , longissima  
dies integro mense sit longior.

Climata ejusmodi universim 60 numerantur  
in globo. Nimirum ab æquatore versus circu-  
lum polarem arcticum 24, totidemque versus  
antarcticum , in quibus longissima dies semi-  
hora crescit : & rursum a polaribus usque ad  
polos utrinque sex alia , in quibus longissimæ  
dies crescunt mensibus integris.

COROLL. Quoniam sub æquatore habitantibus dies  
toto anni tempore noctibus æquales , & proinde 12 ho-  
rarum sunt (Sect. I. §. III. n. 56.), facile erit deter-  
minare longitudinem diei longissimæ pro quovis dato cli-  
mate ; est enim ubique numerus horarum diei longissimæ  
summa ex 12 + numero dati climatis dimi-  
diato. Sic sub 8vo v. g. climate dies longissima erit  
 $12 + \frac{8}{2} = 12 + 4 = 16$  hor. & sub 13tio v. gr.  
erit  $12 + \frac{13}{2} = 12 + 6 + \frac{1}{2} = 18 + \frac{1}{2}$  hor.  
atque sic porro.

Sed & pari negotio si detur horarum numerus diei  
longissimæ reperitur clima ; est enim numerus climatis  
cujuscunque æqualis differentiæ inter 12 & numerum  
horarum duplicata. Sic ubi dies longissima est 16 ho-  
rarum

rarum, erit numerus climatis quæstui =  $\frac{16}{12}$   
 $\times 2 = 4 \times 2 = 8$ . Et iterum, ubi v. g. dies  
 longissima est 18 +  $\frac{1}{2}$  hor. erit numerus climatis =  
 $18 + \frac{1}{2} - 12 \times 2 = 6 + \frac{1}{2} \times 2 = 13$  hor. &  
 sic deinceps.

Climatum intervalla inæqualia sunt; & versus  
 æquatorem multo majora identidem versus cir-  
 culos polares decrescunt.

SCHOL. I. Inæqualitatis vero hujus rationem red-  
 dere ne tiro nesciat, eam potissimum a diversa inclina-  
 tione tropici ad horizontem repetendam esse intelligat.  
 Concipiatur enim semicirculus tropici concri in sphæra  
 recta sub horizonte latens in partes æquales 48 divi-  
 sus, respondebunt partibus singulis  $3^\circ$ .  $45'$  (est enim  
 $\frac{180}{48} = 3^\circ$ .  $45'$ ) seu HORÆ QUADRANS in tempore.  
 Duæ igitur ejusmodi PARTES SIMUL, altera versus  
 orientem, altera versus occidentem horizonti proximæ,  
 BINAS HORÆ QUADRANTES, seu DIMIDIAM HO-  
 RAM conficient, temporis intervallum uni scilicet climati  
 conveniens.

Item pro anguli, quem horizon in diversis poli alti-  
 tudinibus cum tropico constituit, obliquitate modo ma-  
 jori, modo minori, erit pariter necessario intervallum  
 unius climatis ab altero modo majus, modo minus, &  
 identidem majus ac crescens quidem versus æquatorem,  
 minus & decrescens versus polares.

SCHOL. II. Sequens tabula & pro singulis climatis  
 diei longissimæ incrementa, & diversa pro diversis lo-  
 corum latitudinibus climatum intervalla ordine exhibet.

TABULA CLIMATUM, IN QUIBUS DIES  
LONGISSIMA CRESCIT SEMIHORA.

Numerus climatum.	Longitudo diei longissimæ.		Latitudo locorum.		Intervalla climatum.	
	Hor.	min.	Grad.	min.	Grad.	min.
0	12	0	0	0	0	0
1	12	30	8	34	8	34
2	13	0	16	43	8	9
3	13	30	24	10	7	27
4	14	0	30	46	6	36
5	14	30	36	8	5	42
6	15	0	41	21	4	53
7	15	30	45	29	4	8
8	16	0	48	59	3	30
9	16	30	51	57	2	58
10	17	0	54	28	2	31
11	17	30	56	36	2	8
12	18	0	58	25	1	49
13	18	30	59	57	1	32
14	19	0	61	16	1	19
15	19	30	62	24	1	8
16	20	0	63	20	0	56
17	20	30	64	8	0	58
18	21	0	64	48	0	40
19	21	30	65	20	0	32
20	22	0	65	46	0	26
21	22	30	66	6	0	20
22	23	0	66	19	0	13
23	23	30	66	27	0	8
24	24	0	66	30	0	3

TA-

TABULA CLIMATUM, IN QUIBUS DIES  
LONGISSIMA CRESCIT SEMIMENSE.

Num. clim.	Dies longiss.		Latitud.		Interv. clim.	
	Mens.	dies.	Grad.	min.	Grad.	min.
0	0	1	66	30	0	0
1	0	15	66	44	0	14
2	1	0	67	20	0	36
3	1	15	68	23	1	3
4	2	0	69	48	1	25
5	2	15	71	34	1	46
6	3	0	73	37	2	3
7	3	15	75	57	2	20
8	4	0	78	30	2	33
9	4	15	81	14	2	44
10	5	0	84	5	2	51
11	5	15	87	1	2	56
12	6	0	90	0	2	59

SCHOL. In hac tabula facile notabit tiro, etiam  
borum climatum intervalla esse admodum inæqualia,  
sed ORDINE INVERSO, ita ut primi climatis interval-  
lum sit multo minus, quam ultimi versus polos. Ratio  
vero petenda est ex differentiis, quæ intercedunt inter de-  
clinationes partium æqualium eclipticæ tropicis vicinarum,  
multo minoribus, quam sint differentiæ inter declina-  
tiones partium ejusdem æqualium prope æquatorem.  
Illæ enim sunt mensura primi, bæ vero ultimi cli-  
matis.

## §. III.

DE TERRÆ HABITATORIBUS AB UMBRA  
MERIDIANA NUNCUPATIS.

79. Quoniam ☉ tellurem non eodem ubique modo, tum ob figuram sphæricam, tum ob situm sūm obliquum, illustrat, varia incolæ fortiti sunt nomina ab ea scilicet, quam sub meridiem projiciunt, umbra.

*Aſſii* (veluti nullumbres) adpellati sunt, qui ☉ meridiano certo anni tempore umbram suam versus nullam mundi plagam projiciunt; suntque hi omnes zonæ torridæ incolæ, dum ☉ illis verticalis est.

*Amphibſcii*, qui ☉ meridiano certo anni tempore umbram modo versus boream, modo versus austrum projiciunt, veluti qui sub æquatore, imo omnes, qui in zona torrida habitant extra tropicos; ut patet consideranti.

*Heterocſii* nuncupantur, qui umbram meridianam constanter versus eandem mundi plagam, vel versus boream duntaxat, vel versus austrum projiciunt, uti habitatores utriusque zonæ temperatæ & frigidæ extra polos.

*Perisſcii* denique, qui umbram (quæ ejusdem propemodum toto die est longitudinis) sensim ad omnes mundi plagas projiciunt, & ☉lem in eodem fere altitudinis circulo veluti circa ſe ambulare vident, quemadmodum, si qui sunt, sub ipsis polis habitantes.

## §. IV.

## §. IV.

DE INCOLIS TERRÆ A DIVERSO  
INTER SE SITU VARIE ADPELLATIS.

80. *Antipodes* sunt, qui in punctis ejusdem circuli meridiani e diametro oppositis habitant.

COROLL. *Hinc idem illis meridianus sed semicirculus diversus, eadem latitudo sed diversi nominis est: & quando nobis ☉ oritur, illis occidit, quando nobis dies, illis nox, quando nobis dies longissima, illis brevissima est &c. &c.*

*Antæci* sunt, qui in ejusdem semicirculi meridiani punctis ab æquatore versus utrumque polum æqualiter distantibus habitant.

COROLL. *Hinc eandem, ac nos, habent longitudinem geographicam, eandemque, sed diversi nominis latitudinem, easdemque diei, & noctis horas &c.*

*Periæci* sunt, qui in ejusdem meridiani punctis, ab eodem polo versus æquatorem æqualiter distantibus, habitant.

COROLL. *Hinc sub eodem, ac nos, parallelo, sed in punto illius 180° distante versantur. Latitudinem habent eandem, sed longitudinem oppositam.*

## §. V.

DE MENSURIS GEOGRAPHICIS ET  
DISTANTIIS LOCORUM IN GLOBO  
TERRESTRI.

81. *Distantia duorum quorumvis locorum in globo est arcus circuli maximi inter data illa loca comprehensus.*

C 3

SCHOL.

SCHOL. Quoniam locorum distantias non in gradibus, sed v. gr. in hexapedis, in decempedis, in millaribus &c. determinare debent geographi, indagandum erat, quot uni v. g. æquatoris gradui ejusmodi hexapedæ, decempedæ, aut milliaria responderent. Pauca de hac investigatione subjungam.

82. Qui, quo pacto Sect. I. §. 1. n. 2. figuram telluris sphæricam ex observationibus astronomicis deduxerim, paulo adcuratius perpendit, triplici potissimum modo intelliget investigari mensuram potuisse, quæ uni gradui terrestri respondeat; nimirum 1. ex observata ejusdem fixæ differentia altitudinum meridianarum in diversis locis sub eodem meridiano constitutis. 2. Ex differentia ortus, vel occasus ejusdem fixæ in diversis locis sub æquatore, vel denique 3. ex differentia altitudinis poli ejusdem in locis diversis sub eodem meridiano versantibus.

Sit v. g. locus A tanto intervallo a loco B sub eodem meridiano remotus, ut differentia altitudinis poli sit  $= 1^\circ$ , intervallum inter A, & B interceptum gradus terrestris adpellabitur.

Si hoc jam intervallum hexapedis v. g. parisinis, aut decempedis nostris adcurate dimensionem in partes 15 æquales dividamus, qualibet ejusmodi pars vocabitur milliare geographicum, & uni proinde gradui terrestri respondebunt 15 millaria geographicæ. Unde facile erui per calculum poterit numerus milliarum toti, & cuius circulo telluris maximo respondens, si fiat

$$\begin{array}{rcl} 1 : 15 & = & 360 : x \\ \text{Unde} & x & = \frac{360 \times 15}{1} = 5400 \end{array}$$

83. SCHOL.

83. SCHOL. I. Quoniam secundum Adriani Metelli Holandi calculum in quovis circulo peripheria sē habet ad diametrum proxime uti 355 : 113 (Anwendung der sein. mathem. Theor. Theil Geom. II. Abschn. V. Abhandl.) nullo negotio per regulam trium (Kurze Anleitung zur Rechenkunst VIII. Abschn.) reperietur diameter telluris pariter in milliaribus geographicis, si fiat

$$355 : 113 = 5400 : x$$

$$\text{Unde } x = \frac{113 \times 5400}{355} = \frac{610200}{355} = 1718 \frac{31}{35}$$

Rotunde sumunt geographi diametrum telluris = 1720 milliaribus geographicis, ac proinde semi-diameter = 860.

84. SCHOL. II. Sunt, quibus locorum distantias placuit milliaribus germanicis dimetari; verum cum in ipsa nostra Germania magnitudo milliarium non sit ubique eadem, & magnitudinis hujus mensura ex pedestri duarum horarum itinere vel eo capite determinari non possit, quod eandem viam alter tardius utique, celerius alter emetiatitur, opportunius milliaribus germanicis millaria geographicā substituimus, quorum quolibet aequatur parti  $\frac{1}{15}$  unius gradus circuli maximi telluris.

85. SCHOL. III. Omnen si volueris terrae superficiem milliaribus geographicis determinare, inventa diametro = 1720 & circuli maximi peripheria = 5400 in sē ductis, quæstam telluris superficiem reperies = 9288000 milliaribus geographicis. (Geom. III. Abschn. IV. Abhandl. §. 173.)

86. Porro variae sunt geographis longitudinum mensuræ, quarum minima granum bordei est

est secundum latitudinem dispositum; altera *digitus*, *palmus* *tertia*, qui duplex est, major, sive *spithama* duodecim digitorum, & minor digitorum quatuor: quarta *pes*, quinta *passus* geometricus quinque pedum, aut *simplex* duorum cum dimidio; sexta *stadium*, septima milliare geometricum sive *italicum* 1000 passuum, octava denique *leuca*. Geometræ, memoriae caussa, mensuras hasce omnes paucis versiculis sunt complexi:

*Quatuor e GRANIS DIGITUS componitur unus.*

*Est quater in PALMO digitus, quater in PEDE palmus.*

*Quinque pedes PASSUM faciunt; passus quoque centum*

*Viginti quinque STADIUM dant: sed MILLIARE Octo dabunt stadium, & duplicatum dat tibi LEUCAM.*

87. Ipsa quoque *millaria* pro diversis regionibus diversa sunt, & æquat v. gr.

Milliare Germanicum	—	—	2 horas
---------------------	---	---	---------

Gallicum	—	—	I $\frac{1}{2}$
----------	---	---	-----------------

Hispanicum	—	—	I $\frac{1}{3}$
------------	---	---	-----------------

Italicum, & anglicum	—	—	$\frac{1}{2}$
----------------------	---	---	---------------

Unde uni æquatoris vel alterius circuli maximi telluris gradui respondent

Millaria Germanica	—	—	15
--------------------	---	---	----

Gallica	—	—	20
---------	---	---	----

Hispanica	—	—	17 $\frac{1}{2}$
-----------	---	---	------------------

Italica & anglica	—	—	60 &c.
-------------------	---	---	--------

88. *Decempeda geometrica* est pertica in 10 *pedes* divisa, pes porro dividitur in 10 *digitos*, *digitus* in 10 *lineas*. Estque hæc divisionis ratio in subducendis calculis commodissima. Alter

ter tamen alii sensere, & v g. perticam parisinam, sine bexapedam in 6 pedes, pedem in 12 digitos, digitum in 12 lineas, lineam in 10 puncta seu particulās æquales divisere Galli.

## SECTIO IV. DE MAPPIS GEOGRAPHICIS.

### §. I. PRÆNOTIONES.

89. Mappa geographicā est figura plana, quæ vel hemisphæriū telluris utrumque, vel alterutrum, vel hemisphæriū duntaxat partem aliquam secundum leges sive opticas, sive geometricas delineatam exhibet.

90. Quemadmodum vero ipsa geographia mathematica in *cosmographiam*, *chorographiam*, *topographiam*, & *hydrographiam* potissimum dividitur, ita varia quoque distinguimus mapparum genera.

91. Mappa igitur *cosmographica* sive *universalis* appellatur, quæ universum, qua late pater, mundum aut certe vel telluris, vel cœli hemisphæriū utrumque in plano refert.

92. Mappa *chorographica* sive *particularis major* est, quæ hemisphærii partem aliquam majorem, veluti Europam, Asiam, Africam, aut Americanam, *minor* quæ minorem, e. g. Galliam, Germaniam, Belgium, &c. &c. exhibet.

93. Mappa *topographica* nominatur loci cuiusdam singularis e. g. urbis, pagi, villæ suburbanæ, prædii &c. geographica descriptio.

C 5

94. Map-

94. Mappam *hydrographicam* dicimus, quæ ordinem marium, seriem, situmque repræsentat.

## §. II.

## DE PLANISPHERIO.

95. Mappa cosmographica utrumque telluris hemisphærium in plano exhibens *planispærium* adpellatur.

Est itaque planispærium *totius globi artificialis optica in plano projectio*.

*Planispærium* quidem construere secundum leges artis qui cupit, perspectam is penitus babeat necessarium est de projectione sphæræ doctrinam, difficultorem utique, quam ut assequi tiro aut possit, aut debeat, cui hæc pauca sufficiant.

96. Optica hæc projectio varia esse potest. Ordinarie a geographis situs sphæræ parallelus exhiberi in planispæriis solet. Oculum vero spectatoris in plano horizontis, & quidem in polis meridiani primi collocant; unde in bina divisum hemisphæria repræsentant globum, veluti si oculus partem eorum cavam intueretur.

97. Jam autem oculus in ea quidem statione collocatus intuetur in utroque illo hemisphærio 1. meridiani peripheriam integrum, & circularem. 2. *Aequatorem* veluti rectam ab occidente ortum versus productam, qui, quoniam horizonti in hoc sphæræ situ parallelus procurrit, nihil ab hoc adparet spectatori diversus: quare in isthoc genere planispæriorum horizontem non exprimunt geographi. 3. Meridianorum ille,

ille, qui in utroque hemisphaerio medium occupat, pariter visui *lineam rectam* refert, ceteri omnes ad parent curvi & anterioribus identidem versus utrosque polos intervallis a se distincti.

4. *Parallelos* itidem omnes curvos intuemur. 5. *Ecliptica* curvam representat in binos semicirculos divisam, quorum alter, qui versus boream surgit, borealia, signa australia alter complectitur, qui ad austrum descendit. Quotquot denique in globo artificiali, totidem in isthac pariter planisphaerio circulos reperies secundum leges tamen opticas descriptos.

98. COROLL. Pleraque igitur, quae ope globi, etiam ope planisphaerii problemata solvi non admodum difficulter posunt, & saepe commodius, atque, si planisphaerium adcurate delineatum est, etiam adcuratius; cum in iis quidem problematis, quae diversas globi conversiones requirunt, brevem subinde duntaxat calculum substituimus, quo id pacto, sectione hujus opusculi ultima declarabimus.

### §. III.


#### DE MAPPIS CHOROGRAPHICIS ET TOPOGRAPHICIS.

99. In istarum mapparum usu de sola promodum & *longitudine* & *latitudine* locorum geographicâ invenienda mihi admonendus esse videtur tiro. Solent vero id genus mappas plerumque geographi figuris quadratis sive parallelogramis inscribere, quorum latera opposita in partes æquales dividunt.

Partes laterum, quæ in fronte mapparum & calce *horizonti parallela* procurrunt, gradus

*dus longitudinis; quæ vero ortum & occasum versus eadem illa normaliter intersecant gradus latitudinis locorum continent.*

SCHOL. *De mapparum chorographicarum, itemque hydrographicarum constructione, peculiari forsan ultimæ sectionis paragrapbo ea brevitate differam, quæ, cui bæ a me pagina parabantur, sufficere, ni fallor, atati, & libelli hujus angustiis possit.*



GEO-

GEOGRAPHIÆ  
MATHEMATICÆ  
ELEMENTORUM  
LIBER II.

GEOGRAPHIA ELEMENTARIS  
PRACTICA.

SECTIO I.

DE SPHÆRIS ARTIFICIALIBUS.

**T**riplicis potissimum generis sphæras, magno utique geographiæ nostræ commodo artificum paravit industria; *sphæram nimirum armillarem, globum cœlestem, & globum terrestrem*. Singularum partibus & structura libro primo articulatim, ni fallor, atque distincte explicatis, ad ipsas modo geographicas exercitationes, ipsumque sphærarum usum per facilitiora problemata hoc libro altero explicandum accedimus.

§. I.

PROBLEMATA VEL SOLIUS SPHÆRÆ  
ARMILLARIS, VEL ALTERUTRIUS ETIAM  
GLOBI OPE SOLVENDA.

100. *Sunt vero ejusmodi problemata ea omnia, quæ a sole duntaxat, & geographica loci latitudine de-*  
*pen-*

pendent, in quorum solutione locus ☉is in ecliptica semper vel ex calculo, vel ex ephemeridibus est praeoscendus, vel denique alia prius ratione inveniendus.

101. PROBLEM. I. *Pro data quavis die locum ☉is in ecliptica invenire.*

*Resolutio I.* 1. Data dies queratur in calendario, quod horizonti inscriptum esse (n. 27.) diximus.

2. In interiori circulo, queratur signum & gradus datæ diei respondens, & is ipse dabit locum ☉is quæsitum.

*Resolutio II.* Sit ex. g. inveniendus locus solis pro die 4ta Octobris.

Quoniam mense octobri ☽ scorpium die 24ta ingreditur (n. 38.) quarta hujus mensis die etiamnunc in  $\Delta$  versabitur.

Signum  $\Delta$  vero ingressus est ☽ 23 septembris. (*tres pondo.* Ibid.) Tot igitur librae gradus interea peragravit sol, (n. 17.) quot a 23ia septembbris ad 4tam octobris usque effluxere dies, quem quidem numerum non difficulter reperies sequenti calculo.

Cum September habeat dies = 30

Subtrahe = 23

Residuae = 7

Adde numerum diei datae = 4

Summa dabit locum ☽ quæsitum = 11°. in  $\Delta$

SCHOL. Si detur dies subsequens diem illam, qua sol signum mensi dato respondens ingreditur, perspicuum est, sola negotium subtractione confici. Sic pro die 25 Julii reperies locum solis, si ex 25 subduxeris 23. nam die

die 23 Julii ⊖ leonem ingreditur. (n. 38.) Est vero  
 $25 - 23 = 2.$  Unde locus ⊖ pro die 25 julii erit  
 in Q 2°.

*Atque hæc quidem locum solis subducendi ratio,  
 et si parum habeat adcurationis, ad usus tamen suffi-  
 re geographicos abunde potest.*

102. Rectificare globum phrasis est inter geo-  
 graphos recepta, atque idem plane significat,  
 ac spharam eo situ collocare, ut plagi mundi  
 puncta horizontis artificialis singula singulis re-  
 spondeant, & axis globi artificialis parallelus  
 sit axi mundi. Hunc vero situm, quoniam ope  
 linea meridianæ, & magneticæ acus potissimum  
 auxilio consequimur, de hujus construc-  
 tione & effectibus, deque ipsa hac linea me-  
 ridiana, pauca hic quidem interponenda esse  
 putavi.

## DE ACU MAGNETICA.

103. *Acus magnetica* est lamella quædam cha-  
 lybea in acus aut lingulæ formam constructa,  
 magnetica virtute pollens, acutæ insistens cu-  
 spidi & circa illam in omnem partem facillime  
 mobilis.

SCHOL. *De magnete, qui secundum plerosque cor-  
 pus est mixtum ex materia lapidea & metallica, de  
 ejusdem virtute, polis & infinitis experimentis ac theo-  
 ria nihil bic quidem babeo dicere: ad physicam ista  
 pertinent, & apud scriptores tam veteres, quam recentio-  
 res, passim reperiuntur. Ea duntaxat persiringam  
 paucis, quæ ad geographicam nostram necessaria, certe  
 percommoda esse videbuntur.*

104. PRO-

104. PROBLEM. II. *Acum, sive versorium magneticum construere.*

*Resolut.* 1. Acus materia sit chalybs purissimus sine nævo, & bene temperatus.

2. Figura sit oblonga, complanata tamen potius in morem laminæ, quam rotunda veluti obelus aut cylinder, eo quod lamina motu suo horizontali aerem facilius dividat.

3. Altera extremitate lili formam referre acus potest, altera fuscinula.

4. Medium circellus occupet, cui cassis sive cuprea, sive ex orichalcho, sive vitro denique, sive ex adamante confecta intus in conum cavum desinens firmiter adhæreat, & perpendiculariter.

5. Stili apex, cui cassis imponitur sit perpolitus oportet, eique ita innitatur acus, ut in eadem recta, & in eodem plano sint tria puncta, centrum nimirum motus, quod est in axe stili cascidem sustentantis, & utrumque versorii extreum.

6. Versorium ita elaboratum imbuatur viribus magneticis. Unde sit

105. PROBLEM. III. *Versorium viribus magneticis ita imbuere, ut cuspis lingula seu lilium septentrionem, fuscinula vero meridiem respiciat.*

*Resolut.* Cuspis lingulæ, seu lilium ad magnetis armati prominentiam illam, quæ polum australiem refert, admoveatur cum aliqua mora, aut

aut (quod quidem consultius est) polo magnetis australi fiant adfrictus aliquot, hoc est, ductus continui & lenti a centro lingulae versus cuspidem. Cavendum tamen, ne vel unicus fiat ductus a cuspidi versus centrum contrarius, ni laborasse incassum velis.

SCHOL. I. Si volueris vicissim, ut cuspis meridiem respiciat, adfrictus cuspidis polo magnetis boreali peragatur necessarium est; borealis enim magnetis polus communicat lingulae directionem australem; australis borealem.

SCHOL. II. Ut intelligas, quisnam sit in magnete armato polus borealis, quis australis, admove polum alterutrum cuspidi seu lilio versorii virtute magnetica jam imbuti, & septentrionem respicienti, quem cuspis FUGERIT, polus AUSTRALIS: BOREALIS erit, quem illa SEQUITUR.

SCHOL. III. Ut usui esse versorium possit, cognita sit oportet illius etiam declinatio; banc vero metimur ex angulo, quem facit acus cum linea meridiana. Igitur pixidem, cui inserta est acus, in ipsa linea meridiana ita collocabis, ut stylus, seu axis lingulae, seu linea denique quæcunque per centrum ducta linea meridiana perfecte congruat, & mox se ipsam prodet declinatio. Quodsi peripheriam circuli in  $360^{\circ}$  gradus diviseris, habebis mensuram anguli declinationis in gradibus. Lingula tamen declinationi magnetis inveniendæ apta saltem 5 aut 6 digitos æquet longitudine.

### DE LINEA MERIDIANA.

106. Linea meridiana est quævis recta in plano horizontali ducta ad circuli verticalis pla-

D num

num normalis, & proinde meridiani plano parallela.

107. PROBLEM. IV. *Lineam meridianam ducere.*

*Resolut.* I. 1. Paretur tabula marmorea, quoad ejus fieri potest, perfecte plana, & horizonti parallela, firmetur in loco, quem & ante & post meridiem illustrare per aliquot horas lux solis potest.

2. In hujus plani punto quocunque infigatur stilus rectus c d (Fig. 22.) ad perpendicularum.

3. Ipsa æquinoctii sive verni, sive autumnalis die observetur accurate, quorsum stili apex d umbram projiciat, & ejusdem umbra in piano horizontali extremitas minutissimo notetur punto, idque repetitis aliquot eandem per diem vicibus.

4. Ope regulæ accuratae ducatur recta per singula hæc a, b, m &c. puncta transiens; erit hæc linea æquinoctialis, seu piano per puncta æquinoctialia transeunti, adeoque etiam piano circuli verticalis parallela.

5. Recta igitur c o ex centro stili c ducta ad inventam æquinoctialem normalis erit linea meridiana quaesita.

108. SCHOL. Si stili longitudinem c d ex punto intersectionis o in æquinoctialis punctum quocunque n transferas, ducta c n determinabit AD c ANGULUM ELEVATIONIS EQUATORIS, AD n vero ejus complementum sive

ANGU

ANGULUM ELEVATIONIS POLI pro eo loco, ubi peracta est observatio.

Quoniam vero linea meridiana etiam extra æquinoctiorum tempora non raro ducenda est, suggerere methodum quoque aliam oportet, pro usibus quidem geographicis sat adcuratam; maxime si observationes fiant circa solstitium æstivum, a 14 nimirum Junii circiter usque ad 5 Julii, quo dierum intervallo & declinationis solaris, & proinde altitudinum quoque respondentium inter se, differentia tam modica est, ut notari facile, nisi ab astronominon possit.

### RESOLUTIO ALIA E JUSDEM PROBLEMATIS.

1. In plano perfecte horizontali (n. 107) ex eodem centro C (Fig. 23) diversis radiis describantur aliquot circuli concentrici.

2. In centro erigatur stilus perpendiculariter arbitriæ, pro ratione tamen circulorum, altitudinis.

3. Attendatur horis antemeridianis, dum stili umbra circulorum aliquem tangat apice suo, v. g. in puncto m hora circiter octava, noteturque punctum m in circulo majori B G D, adscribaturque observationis hora. Post unius aut alterius horæ intervallum umbra stili jam brevior tanget circulum aliquem minorem v. g. K L M. Sumamus id fieri hora circiter decima in puncto h. Rursum igitur notetur punctum adscribaturque hora observations, nimirum decima.

D 2

4. Post

4. Post meridiem quadrante circiter ante secundam redi, ( tanto enim secunda a meridie intervallo distat, quanto decima, quarta tanto, quanto octava, unde has horas inter se respondentes dicimus ) & expecta, donec stili umbra tangat circulum K L M in puncto b. Notato hoc puncto adscriptaque hora secunda redibus ultimum circa quartam & ubi umbræ extremitas tetigerit circulum majorem B G D in puncto n, duc rectas m n, h b, quæ si fuerint inter se parallelæ, observationem adcurate peractam a te esse putabis, & ducta ex centro ad m n perpendiculari C D erit meridiana quæsta.

Sin vero, & rectæ illæ non fuerint parallelæ, alio die repetenda est observatio.

SCHOL. I. Si recta C D ad chordam m n normalis, fuerit pariter normalis ad alteram chordam h b ( id quod adcurati gnomonis ope non difficulter exploratur ) parallelas esse chordas, observationemque tuam valere nil dubita. Quodsi vero C D fuerit normalis ad chordarum alteram, ad alteram non item, perspicua est earundem ad se mutua inclinatio, & observatio nulla.

SCHOL. II. Non abs consilio quidam stili crassioris apicem tenuiter perforant, admissumque per foramen illud tenui solis radium umbræ substituunt; quando punctum lucens multo utique facilius, quam umbram illam in plano discernimus.

SCHOL. III. Servit hæc linea meridiana, præter alios in geographia usus, corrigendis potissimum horologis rotatis; quoties enim umbra stili lineam meridianam tegit, centrum solis in meridie versatur, adeoque meridies est, & index horologii signare debet horam duodecimam.

SCHOL. IV.

SCHOL. IV. *Pro usibus geographicis solius acus magneticæ subsidio lineam meridianam determinare sufficerit, moda acus illa jam sit correcta, & quantitas declinationis cognita, qua varia esse pro diversitate locorum solet. Dantur & aliae methodi inveniendi lineam meridianam v. gr. per altitudines respondentes fixarum ope quadrantis observatas &c. sed tironi geographo paulo ante explicata sufficerit.*

109. PROBLEM. V. *Pro datis loco ejusque latitudine, die & hora rectificare globum.*

*Resolut.* 1. Collocetur globus, ut ejus polus respiciat mundi polum ope acus, globis plerumque affigi solitæ, aut lineæ meridianæ: horizon vero stet ad libellam.

2. Elevetur polus ad datam loci latitudinem.

3. Quæratur locus ☽is pro die data (n. 102.) signeturque in ecliptica.

4. Volvatur globus, donec, qualemque hoc, signum seu locus ☽ notatus venerit sub meridianum æneum, statuaturque index horarius ad duodecimam superiorem.

5. Volvatur globus, donec index signet horam datam, & factum erit, quod petebatur.

110. PROBLEM. VI. *Pro dato loco & die invenire momentum orientis & occidentis solis.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro hora 12 (n. 109.)

2. Volvatur globus versus ortum, donec ☽ in ecliptica signatus descendat ad horizontem, & index horarius te docebit horam orientis;

si deinceps globum eodem modo ad occasum  
volveris, horam index signabit occidentis solis.

SCHOL. Quot temporis momenta numeraveris ab  
hora duodecima meridiana usque ad occasum ☽is, totidem  
ab ortu usque ad duodecimam, vel vicesim ab eadem duo-  
decima ad ortum solis usque computanda erunt.

**III. PROBLEM. VII. Pro dato loco ☽  
die invenire longitudinem diei & noctis.**

Resolut. I. Quaratur hora orientis, & occi-  
dantis ☽is.

2. In parte circelli horarii superiore nume-  
rentur horæ intermediae inter ortum & occa-  
sum solis, & dabunt longitudine diei: reliquæ in  
circello inferiore numeratae dabunt longitudi-  
nem noctis quæsitam.

SCHOL. Universim notabis sequentes regulas.

I. MOMENTUM ORIENTIS SOLIS DUPLICATUM  
DAT LONGITUDINEM NOCTIS PRÆTERITÆ. Unde

2. NOCTIS PRÆTERITÆ LONGITUDINE DIMIDIA  
DAT VICISSIM MOMENTUM ORIENTIS SOLIS.

3. MOMENTUM OCCIDENTIS SOLIS DUPLICA-  
TUM DAT LONGITUDINEM PRÆSENTIS DIEL. Un-  
de rursum

4. PRÆSENTIS DIEL LONGITUDINE DIMIDIA DAT  
MOMENTUM OCCIDENTIS ☽is.

5. LONGITUDINE DIELI SUBTRACTA A 24 HORIS  
DAT LONGITUDINEM NOCTIS.

6. HÆC VICISSIM AB IISDEM SUBDUCTA DAT  
LONGITUDINEM DIELI.

**COROLL.**

COROLL. *Dato itaque uno ex his quatuor vel MOMENTO ORIENTIS, vel MOMENTO OCCIDENTIS, vel LONGITUDINE DIEI, vel LONGITUDINE NOCTIS reliqua inveniri posse perspicuum est.*

112. PROBLEM. VIII. *Pro dato loco diei & noctis longissimæ aut brevissimæ quantitatem invenire.*

*Resolut.* Si locus fuerit borealis, 1. rectificetur globus pro dato loco, & die solstitii æstivi, seu 22da Junii, qua sol initium  $\odot$ ri occupat.

2. Quæratur pro eadem die hora occidentis  $\odot$ is, qua inventa habebitur quæsิตum per problema præcedens.

Sin, & locus australis fuerit 1. signum  $\lambda$  volvatur ad meridianum, statuaturque index ad duodecimam circelli horarii inferiorem.

2. Volvatur globus, donec punctum  $\lambda$  stet in horizonte ortivo, & index dabit horam occidentis solis, qua inventa denuo habebitur per problema præcedens, quod quærebatur.

113. PROBLEM. IX. *Momentum orientis & occidentis  $\odot$ is absente circello horario invenire adcuratius.*

*Resolut.* 1. Globo pro data loci latitudine rectificato collocetur punctum solis sub meridianum, noteturque gradus æquatoris cum sole culminans.

2. Volvatur idem punctum solis ad horizonem occiduum, dum illum tangat.

3. Numerentur jam gradus æquatoris ab eo gradu, qui modo subest meridiano, usque ad illum, qui culminabat cum sole; &

4. Numerus graduum divisus per 15 dabit horam occidentis solis, qua inventa habebitur & momentum orientis per probl. VII.

SCHOL. Si facta divisione restarent aliqui gradus, eorum numerus multiplicetur per 4, & factum dabit numerum minutorum, horæ qualitatæ superaddendum.

114. PROBLEM. X. *Pro data hora adcuratius rectificare seu ita constituere globum absente horario, ut ecliptica in globo designata ecliptica cœlesti parallela sit.*

Resolut. 1. Si tempus fuerit pomeridianum, datus horarum numerus (si antemeridianum, earendem complementum ad 12) ducatur in 15, & habebitur arcus æquatoris in gradibus dato horarum numero respondens.

2. Globo, ejusque polo rite statutis locus  $\odot$ is subjiciatur meridiano, & ab eodem ortum versus, si detur tempus pomeridianum (si antemeridianum, occasum versus) numerentur tot gradus in æquatore, quot dato horarum numero responderint.

3. Ultimum gradum, seu gradus ultimi partem minutis, si quæ fuerint, respondentem, signabis nota, quo signo ad meridianum æneum admoto erit globus pro data hora rectificatus, id quod petebatur.

SCHOL. Si præter horas dati fuerint etiam horarum quadrantes, cuiilibet quadranti respondebunt  $3^{\circ} 45'$   
*aqua.*

*æquatoria.* Si data insuper fuerint minuta temporis,  
enilibet tribuenda erunt 15' minuta æquatoris.

*Exempl. I.* Sit rectificandus globus pro tertio quadrante ad 10am vespertinam, hoc est pro  $9^h + \frac{3}{4}$ . fiet  $9^h + \frac{3}{4} \times 15 = 146^\circ + 15'$ . qui sunt gradus æquatoris ortum versus numerandi ab illo puncto, quod cum ☽ die illo culminat; hujus vero ipsius arcus extreum erit punctum æquatoris data hora culminans.

*Exempl. II.* Sit rectificandus globus pro hora quarta matutina. Fiet  $12 - 4 = 8$  complementum ad 12. Porro  $8 \times 15 = 120$ , qui est numerus graduum in æquatore occasum versus numerandorum a puncto, quod illo die cum ☽ le culminat. Terminus horum graduum erit punctum æquatoris data hora culminans; unde hoc punto ad meridianum adducto globus erit pro hora data rectificatus.

115. PROBLEM. XI. *Pro dato quovis die & loco initium diluculi, & finem crepusculi, ac utriusque durationem determinare.*

*Resolut.* I. Polo secundum dati loci latitudinem elevato, & loco solis una cum horario indice ad meridianum posito volvatur globus, donec index ad horam 12am inferiorem sui circelli descenderit.

2. Signetur eclipticæ punctum illud, quod hoc ipso in situ globi sub meridiano est; & erit hoc punctum dato ☽ loco e diametro oppositum. Dicamus hoc punctum M.

3. Volvatur globus versus occidentem, simulque moveatur quadrans verticalis versus

D 5

punc-

punctum M, donec istud occurrat gradui quadrantis 18vo, & index dabit horam diluculi incipientis. Idem si ad ortum feceris, habebis horam desinentis crepusculi.

4. Quodsi horam ortus & occasus Ⓛis cum initio & fine crepusculi conferas, habebis utriusque durationem.

116. SCHOL. Non ubique eadem semper fuit, aut nostra etiam ætate est diei civilis horas numerandi ratio. Babylonii, Persæ, Syri, & plerique populi orientales auspicabantur diem AB ORTU SOLIS, quorum exemplo bodiedum GRÆCIS hora ab ortu solis proxime elapsa dicitur PRIMA, altera SECUNDA, & sic porro continuo ordine usque ad 24tam.

Quod olim Athesienses, Austriae, Bohemi, Moromanni, Silesii &c. fecere, hodie SINENSES ET ITALI numerare diei horas A SOLIS OCCASU incipiunt, ita, ut hora proxime occasum sequens ipsis sit prima, & sic deinceps ad 24tam usque.

COROLL. Cognita igitur hora diei babylonica, cognoscitur, quot abhinc horis Ⓛ supra horizontem ascendit: & noctu data hora italica, datur noctis tempus elapsum.

117. PROBLEM. XII. Datis loco, die, & hora communi europæa invenire horam babyloniam.

*Resolut.* 1. Pro dato loco, die, & hora rectificetur globus. (109 & 114.)

2. Index admoveatur horæ 12.

3. Volvatur globus ad ortum, donec locus Ⓛis adpareat in horizonte ortivo.

4. Nu-

4. Numerentur horæ continuato ad 24 ordine a meridie versus ortum usque ad momentum, quod index globo ita constituto signaverit, & factum erit, quod petebatur.

118. PROBLEM. XIII. *Datis loco, die, & hora babylonica invenire europæam.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro hora 12.

2. In circello horario a meridie versus ortum numerentur horæ continuo ordine usque ad horam datam, eique index admoveatur globo immoto.

3. Volvatur globus versus ortum, donec locus ☉is devenerit ad horizontem ortivum, & signabit index horam quæsitam.

119. PROBLEM. XIV. *Datis loco, die, & hora communi invenire italicam.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro data hora.

2. Globo immoto reducatur index ad horam 12.

3. Volvatur globus occidentem versus, donec locus solis sit in horizonte occiduo.

4. A puncto indicis per inferiorem circuli partem pergendo numerentur horæ continuato ad 24 ordine usque ad duodecimam meridianam, & dabitur hora italica quæsita.

120. PROBLEM. XV. *Datis loco, die, & hora italica invenire horam communem.*

*Resolutio.* 1. Rectificetur globus pro hora 12ma.

2. Ab

2. Ab hac occasum versus numerando continuatis numeris 24 signetur hora data, eique index globo cetera immoto admoveatur.

3. Volvatur globus, donec locus ☽ sit in horizonte occiduo, & index dabit horam quæsitam.

SCHOL. Posteriora isthac quatuor problemata etiam sine globo per calculum solvi possunt brevem illum & facilem; sed methodus illa ad chronologiam potius, quam ad geographiam pertinet (VIDE EPIT. CHRONOL. P. STEINMEYER, §. 21. & seq.)

### §. II.

## PROBLEMATA OPE GLOBI POTISSIMUM COELESTIS SOLVENDA.

121. Etsi pleraque, quæ ad solem pertinent, problemata, sphæræ aut armillaris, aut terrestris etiam ope solvi eadem facilitate possint, ea tamen ad sphærām cœlestem potissimum reicienda esse putavi, ne, labore citra necessitatem duplicato, eadem, ubi de fixis sermo erit, revocare problemata cogerer.

122. PROBLEM. XVI. *Pro data quavis die ascensionem rectam solis, aut stellæ cuiuscunque invenire.*

SCHOL. I. Revocata in memoriam ascensionis rectæ definitione, solvisti problema; ipsa enim te docebit

*Resolut.* I. Locum ☽ aut datam stellam subdere meridiano, & in æquatore signare gradum cum ☽, aut dato sidere culminantem.

2. Ab

2. Ab  $\gamma$  SSS numerare gradus, usque ad hoc ipsum æquatoris punctum cum  $\odot$  e aut stella culminans, qui graduum numerus erit ascensio quæsita.

SCHOL. 2. *Uti in hoc, ita pariter in plerisque sequentibus problematis totam resolutionem sola te docebit definitio, quas omnes practicas esse (Sect. III.) lectorem admonui.*

123. PROBLEM. XVII. *Pro data die declinationem  $\odot$  is, aut stellæ seu sideris cuiuscunque invenire.*

*Resolut.* 1. Punctum eclipticæ loco  $\odot$  is pro data die respondens, aut datum sidus admoveatur meridiano.

2. In eodem meridiano numerentur gradus ab æquatore usque ad locum  $\odot$  is, vel datum sidus, & graduum numerus dabit declinationem sive borealem illam, sive australem.

124. PROBLEM. XVIII. *Data loci latitudine, & loco  $\odot$  is in ecliptica, vel sideris cuiusque in globo, tam ascensionem, quam descenditionem ejus obliquam, itemque differentiam ascensionalem invenire.*

*Resolut.* 1. Elevetur polus pro data loci latitudine.

2. Locus  $\odot$  is, vel data stella statuatur ad horizontem ortivum, noteturque gradus æquatoris cum stella oriens.

3. Ab  $\gamma$  SSS in æquatore numerentur gradus usque ad gradum paulo ante notatum, & dabitur ascensio sideris obliqua.

4. Idem

4. Idem ex parte horizontis occidua si feceris, dabitur obliqua descensio.

5. Differentia inter ascensionem rectam & obliquam dabit differentiam ascensionalem.

125. COROLL. *Differentia ascensionalis mutata in tempore (Sect. I. §. V. n. 36.) & 6 horis addita dat momentum OCCIDENTIS SOLIS in signis BOREALIBUS positi, a 6 horis subtracta dat momentum ORIENTIS. Sole vero in signis AUSTRALIBUS versante pro occasu inveniendo differentia ascensionalis ex 6 horis subducenda est, addenda iisdem pro ortu.*

126. PROBLEM. XIX. *Dato pro certa die momento orientis, vel occidentis ☉is invenire diem, qua ☉ eodem rursus momento oriatur, vel occidat, extra tempus solstitiorum.*

*Resolut.* 1. Locus ☉is admoveatur meridiano.

2. Ejusdem declinatio notetur applicata ad meridianum acu versus locum ☉is directa.

3. Immota hac acu volvatur globus, donec alias eclipticæ gradus eidem acui respondeat.

4. In calendario horizonti inscripto, quæratur dies invento gradui respondens, & dabitur quæsitum.

COROLL. *Ex bac solutione perspicuum est, idem obtineri, si locus ☉is admoveatur horizonti, eidemque acu eodem fere, quo ad eclipticam, applicetur modo.*

SCHOL. *Me non admonente intelligitur, IDEM MOMENTUM ortus & occasus ☉is bis annis singulis debere extra solsticia occurrere, semel nimirum in signis ascendentibus, & iterum in descendantibus, & quidem in*

in eclipticæ gradibus a  $\odot$  &  $\lambda$  utrinque æquidistantibus.

127. PROBLEM. XX. *Datis loci latitudine, & momento orientis vel occidentis  $\odot$ is, invenire dies, quibus id contingat, extra solstitia.*

*Resolut.* 1. Elevetur polus pro data loci latitudine.

2. Ex coluris aliquis, vel horarius circulus quicunque admoveatur meridiano, index ad 12mam.

3. Volvatur globus donec index signet datum momentum ortus vel occasus.

4. Ubi horizon secuerit assumptum tuum colurum vel horariorum, admove apicem stili, fixumque tene.

5. Volve globum donec apex ante & post punctum  $\odot$  vel  $\lambda$  fecerit eclipticam, & dies sectionis hujus gradibus in calendario vel calculo respondentes dabunt quæsitum.

128. PROBLEM. XXI. *Pro dato loco ac die invenire altitudinem  $\odot$ is aut stellæ cuiuscunque meridianam.*

*Resolut.* 1. Admoveatur centrum  $\odot$ is aut stellæ datæ meridiano, eleveturque polus pro dato loco.

2. Numerentur gradus in eodem meridiano æneo horizontem inter & solem vel stellam datum intercepti: numerus graduum dabit altitudinem quæsitam.

COROLL. I.

COROLL. I. Facile intelligitur altitudinem puncti verticalis zenith esse omnium maximam; ac proinde altitudinem cuiuscunque sideris extra zenith versantis determinari per arcum circuli verticalis, qui sit MINOR QUADRANTE.

COROLL. II. Altitudo meridiana  $\odot$ is maxima est  $\odot$ lo in punto  $\odot$ ri, minima in punto  $\odot$ ri versante.

129. PROBLEM. XXII. Pro datis loco, die & hora quacunque diurna  $\odot$ is aut stellæ cuiuscunque altitudinem invenire.

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro datis loco, die, hora. (n. 109. & 114.)

2. Globo immoto circulus verticalis admovetur solis loco, aut stellæ datæ, numerenturque gradus inter stellam vel solem & horizontem intercepti, & factum erit, quod petebatur.

SCHOL. Horis ante - & post meridiem a 12ma æquidistantibus altitudinem  $\odot$ is proxime eandem reperiens, praesertim tempore solstitiorum: & bæ ALTITUDES CORRESPONDENTES nuncupantur.

130. PROBLEM. XXIII. Pro datis loco & die invenire amplitudinem  $\odot$ is ortivam, vel occiduum.

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro hora 12.

2. Statuatur locus  $\odot$ is ad horizontem ortivam.

3. Numerentur gradus in horizonte a 90mo usque ad illud punctum, in quo  $\odot$  oritur, & dabitur amplitudo ortiva, siue idem in semicirculo horizontis occiduo feceris, occidua. Ultraque

que vel borealis, sole in signis borealibus, vel australis illo in australibus versante.

131. PROBLEM. XXIV. *Pro datis loco, die, & hora azimuthum ♂is aut sideris cuius-cunque invenire.*

*Resolut.* 1. Pro data hora &c. rectificetur globus.

2. Centro ♂is admoveatur quadrans verticalis.

3. Mensurentur in horizonte gradus meridianum inter, & illud horizontis punctum intercepti, cui verticalis quadrans insistit, & dabitur azimuthum orientale horis ante-, horis pomeridianis vero occidentale, utrumque australe, si in semicirculo horizontis australi, boreale, si in boreali fuerit.

132. PROBLEM. XXV. *Datis latitudine loci geographica, & altitudine ♂is invenire horam diei.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro hora 12 & data loci latitudine.

2. In quadrante verticali notetur gradus datae altitudinis ab horizonte versus zenith numerando.

3. Volvatur globus una cum quadrante verticali ante meridiem ortum versus, post meridiem versus occasum, donec locus ♂is gradui verticalis paulo ante notato occurrat, & index signabit horam quæsitam.

E

SCHOL. I.

SCHOL. 1. Eadem fere methodo reperitur diei bora ex azimutho ☽is.

SCHOL. 2. Perspicuum est, diei horam inveniri adcuratius sine indice horario, si nimurum arcus æquatoris inter punctum cum ☽le, & inter punctum soluto problemate culminans convertatur in tempus. (n. 113.)

133. PROBLEM. XXVI. Eandem diei horam cognita sola loci latitudine invenire.

Resolut. 1. Exponatur globus lucenti soli planō perfekte, quoad fieri potest, horizontali insistens, ita ut meridianus æneus cum meridiano cœlesti, seu linea meridiana adcurate congruat.

2. Rectificetur pro hora 12ma.

3. Volvatur globus ante meridiem versus ortum (post meridiem occasum versus) & loco ☽is infigatur stilus, vel acus tenuis ad globi superficiem normalis.

4. Porro lente moveatur globus ad solem lucentem, donec nullam acus umbram a se projiciat, & index dabit momentum temporis quæsitum; nisi malueris denuo arcum æquatoris, ut probl. super. Schol. II. monui, in tempus convertere.

SCHOL. Ipsa umbra protensi axis in circello horario, quandiu ☽ in borealibus signis versatur superior, dum vero in australibus est, inferius, polo rite elevato & meridiano recte constituto, horam nobis præsentem notat.

134. PROBLEM. XXVII. Datis die & altitudine ☽is meridiana invenire altitudinem poli.

Reso.

*Resolut.* 1. Locus  $\odot$ is diei dato respondens collocetur sub meridiano.

2. In eodem meridiano a loco  $\odot$  versus horizontem numerentur gradus altitudinis datæ.

3. Meridianus æneus intra crenas suas tamdiu ultro citrore moveatur, donec graduum altitudinis terminus insistat horizonti, & erit polus pro dato loco elevatus.

135. PROBLEM. XXVIII. *Dato anni tempore, & declinatione  $\odot$ is, locum solis in ecliptica invenire.*

*Resolut.* 1. Notetur in meridiano declinatio data ab æquatore sursum, si borealis (sin, & australis illa fuerit, deorsum) ibique retineatur stilus.

2. Volvatur globus, donec apex stili alii cubi fecet eclipticam inter  $\nu$  &  $\Sigma$ , si tempus datum fuerit vernale; inter  $\Sigma$  &  $\Omega$  si æstivum: inter  $\Omega$  &  $Z$  si autumnale, inter  $Z$  &  $\nu$  deinde si hyemale, & factum erit quod petebatur.

136. PROBLEM. XXIX. *Eundem locum  $\odot$ is ex data illius ascensione recta invenire.*

*Resolut.* Ascensionis datæ gradus numerentur in æquatore ab  $\nu$  SSS. & ultimus graduum admoveatur meridiano. Punctum eclipticæ, hoc globi situ, culminans dabit locum  $\odot$ is quæsitum.

137. PROBLEM. XXX. *Eundem Ois locum ex data certo anni tempore altitudine solis meridiana invenire.*

*Resolut.* 1. Elevato pro latitudine loci polo numerentur gradus datae altitudinis in meridiano, atque in illius arcus termino, ab horizonte versus zenith computato, figuratur stilos.

2. Volvatur globus, donec stilos fecet eclipticam in eo quadrante, qui dato tempori respondeat, & dabitur quæstum.

138. PROBLEM. XXXI. *Pro dato loco, die, & hora situm totius cœli & omnium stellarum in globo cœlesti exhibere.*

*Resolut.* Rectificetur globus pro data hora (n. 109. 114.) & factum erit quod petebatur.

139. PROBLEM. XXXII. *Datis loco, die naturali & altitudine stellæ cuiusdam datae in parte orientali vel occidentali invenire horam diei aut noctis.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro hora 12ma.

2. In quadrante verticali notetur altitudo data.

3. Volvatur globus vel ad ortum vel ad occasum, (prout stella data fuerit in parte orientali vel occidentali) moveaturque versus stellam quadrans verticalis, donec stella notato altitudinis gradui occurrat, & index signabit horam quæstam.

SCHOL.

SCHOL. Pari propemodum ratione inveniri horam ex cognito datae stellæ azimutho posse, perspicuum est. Adcurius tamen invenietur hora, si arcus æquatoris inter punctum cum Sole & punctum soluto problemate culminans interceptus convertatur in tempus.

140. PROBLEM. XXXIII. *Datis stellæ ascensione rectâ, & declinatione invenire locum stellæ, seu stellam.*

*Resolut.* 1. Ab  $\sqrt{SSS}$  numerentur gradus datae ascensionis rectæ.

2. Terminus numeri horum graduum admoveatur meridianō.

3. In meridiano numerentur gradus datae declinationis ab æquatore versus polum borealem vel australem, prout data declinatio borealis vel australis fuerit, & erit punctum globi invento declinationis gradui respondens locus stellæ quæsitus.

141. PROBLEM. XXXIV. *Datæ cujusvis stellæ longitudinem & latitudinem invenire.*

*Resolut.* 1. Si globo adnexus sit circulus, vel saltem quadrans circuli latitudinis, is moveatur, donec per stellam datam transeat. Signum, & signi gradus ille eclipticæ, quem circulus latitudinis per stellam transiens secuerit, dabit longitudinem quæsitam stellæ. (n. 64.)

2. Arcus vero hujus ipsius circuli latitudinis stellam inter & eclipticam interceptus, & oper circini in æquatore mensuratus (nisi ipse quadrans latitudinis sit in suos gradus divisus) dabit quæsิตam stellæ latitudinem.

SCHOL. Quadrans latitudinis quoniam raro globis artificialibus adnectitur, illius percommode subire vices, filum poterit ab uno eclipticæ polo ad alterum per stellam extensem.

142. PROBLEM. XXXV. *Datis cuiusvis stellæ aut puncti cœlestis tam longitudine quam latitudine stellam in globo ipsam, aut punctum illud quodvis invenire.*

*Resolut.* 1. In ecliptica numerentur signa & gradus datæ longitudinis, eorumque terminus signetur tenui v. g. cretæ mollis vestigio.

2. Per cretatum istud vestigium ducatur circulus latitudinis, seu filum, in quod si data latitudinis gradus transtuleris (in æquatore prius circino mensuratos) ab ecliptica versus polum borealem, si borealis; versus australem, si australis fuerit latitudo data, erit ibidem locus stellæ, aut puncti quæsitus.

COROLL. *Possimus ergo ope bujus problematis loca omnium PLANETARUM determinare in globo, eorumque signa tenui chartulae inscripta affigere, ac proin pleraque etiam de PLANETARUM motu solvere problema, latitudine eorum ac longitudine ex ephemeridibus accepta.*

143. PROBLEM. XXXVI. *Ex observata, vel quo-denum-cunque modo cognita distantia stellæ cuiusdam C a duabus stellis A & B invenire locum stellæ C.*

*Resolut.* 1. Mensuretur v. g. in æquatore ope circini distantia data stellæ A & C, & hoc circini

cini intervallo ex centro A versus illam partem, versus quam distare stella C notata est, describatur arcus tenuis cretatus.

2. Eodem pariter modo mensuretur data distantia inter stellas B & C, & hoc rursum intervallo ex centro B versus eandem plagam describatur arcus alias, ubi se mutuo secuerint hi arcus erit locus quæsitus stellæ C.

SCHOL. Quoniam ejusmodi arcus solent vitiare globos, commodius adibentur bini circini: alter pro distantia AC, alter pro BC apertus.

144. PROBLEM. XXXVII. *Datis pro certa die & loco declinatione, & tempore culminationis stellæ invenire stellam.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro dato tempore culminationis.

2. Globo immoto numerentur in meridiano gradus datæ declinationis ab æquatore versus boream, vel austrum, prout declinatio data fuerit borealis, vel australis, & gradus huic declinationi respondens dabit locum stellæ quæsitus.

145. PROBLEM. XXXVIII. *Datis pro certa die & loco tempore culminationis & altitudine meridiana stellæ invenire stellam.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro dato tempore culminationis.

2. Globo immoto numeretur altitudo meridiana stellæ data ab horizonte versus polum,  
E 4 &

& punctum quæsitæ altitudinis termino respondens dabit locum stellæ.

SCHOL. Cum stellæ circumpolares, quæ nobis numquam occidunt, bis quotidie culminent, determinanda est in problemate altitudo meridiana earundem an sit MAXIMA, an MINIMA.

146. PROBLEM. XXXIX. *Datis latitudine loci, azimutho & altitudine stellæ eodem tempore, invenire stellam.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro dato tempore.

2. Eo immoto azimuthum datum in horizontis debita plaga notetur.

3. Collocetur quadrans verticalis in azimutho notato.

4. Ab horizonte versus zenith numerentur in quadrante verticali gradus datae altitudinis, & habebis locum stellæ quæsitus.

147. PROBLEM. XL. *Datis loco, altitudine stellæ notæ A & stellæ ignotæ x in eodem simul circulo verticali, quacunque in plaga data, invenire stellam x.*

*Resolut.* 1. Polo rite elevato notetur in quadrante verticali altitudo stellæ A.

2. Volvatur globus versus plagam datam simulque verticalis, donec stella eidem concurret in dato gradu altitudinis.

3. In eodem tum verticali quæratur altitudo data stellæ x, & habebitur stella quæsita.

148. PRO-

148. PROBLEM. XLI. *Data loci latitudine invenire diem, qua stella quævis data cum sole oritur, aut cum sole occidit.*

*Resolut.* 1. Polo rite elevato collocetur stella in semicirculo horizontis orientali, noteturque ille eclipticæ gradus, qui cum stella oritur, eidemque gradui respondens dies quæratur vel calculo, vel ex calendario, quod horizonti inscriptum est.

2. Idem si in semicirculo horizontis occiduo feceris, factum erit, quod petebatur.

149. PROBLEM. XLII. *Pro data die invenire omnes stellas quæ cum Sole oriuntur, & quæ cum Sole occidunt.*

*Resolut.* 1. Quæratur locus Ois in ecliptica pro data die.

2. Statuatur locus Ois inventus primum in horizonte ortivo, & adparebunt in eodem circulo stellæ omnes cum Sole orientes.

3. Idem locus Ois transferatur rotato globo ad horizontem occiduum, & habebis ibidem stellas cum Sole occidentes.

150. PROBLEM. XLIII. *Tempus culminantis stellæ pro dato quovis die & loco invenire.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro dato loco & hora 12ma.

2. Data stella admoveatur meridiano, & index dabit tempus quæsitus.

151. PROBLEM. XLIV. *Pro quovis die & loco horam ortus & occasus cuiusvis stellæ date invenire.*

*Resolut.* 1. Rectificetur globus pro h. 12ma.

2. Stella data admoveatur horizonti ortivo & index dabit horam ortus.

3. Eadem admoveatur horizonti occiduo, & signabit index horam occasus.

SCHOL. *Perpendenti, quæ l. I. §. V. & l. II. n. 113. dicta sunt, perspicuum esse debet, & istud, & permulta id genus problemata solvi adcuratius absque indice horario, conversione scilicet graduum æquatoris in tempus.*

152. PROBLEM. XLV. *Cujusvis stellæ datæ ortum, & occasum COSMICUM invenire.* (l. I. n. 71.)

*Resolut.* 1. Quæratur per problema XLI. dies, qua stella data cum sole oritur, & habebitur tempus ortus cosmici.

2. Per idem problema investigetur dies, qua stella data occidit sole oriente, & dabatur tempus occasus cosmici stellæ datae.

153. PROBLEM. XLVI. *Cujusvis stellæ datæ ortum & occasum ACRONYCHIUM invenire.* (Ibid.)

*Resolut.* 1. Quæratur per problema XLI. dies, qua stella data oritur occidente sole, & dabatur tempus ortus acronychi.

2. Per idem problema quæratur dies, qua stella data occidente sole occidit, & habebitur tempus occasus acronychi datae stellæ.

154. PRO-

154. PROBLEM. XLVII. *Cujusvis stellæ datæ ortum & occasum HELIACUM invenire.*  
(*Ibid.*)

*Resolut.* 1. Polo rite elevato stella data collocetur in ortu.

2. In verticali quadrante accipiatur arcus fulsionis datæ stellæ, vel etiam planetæ, respondens, cujus ultimus, ab horizonte versus zenith numerando, gradus notetur, & quadrans moveatur versus occasum, donec notatus ille gradus alicubi occurrat eclipticæ.

3. Investigetur dies huic ipsi eclipticæ puncto respondens, & dabitur dies, quo stella heliacæ oritur, versisque plagis pari methodo invenies occasum heliacum.

155. PROBLEM. XLVIII. *Pro datis loco & die invenire, quanto tempore data stella supra horizontem versetur.*

*Resolut.* 1. Polo rite elevato rectificetur globo pro hora 12 meridiana.

2. Quæratur occasus stellæ (*n. 151.*) & hora occasus duplicitur, habebisque tempus, quo stella supra dati loci horizontem versatur.

156. PROBLEM. XLIX. *Ex data vel cognita stellæ cujusdam circumpolaris altitudine meridiana maxima & minima altitudinem poli invenire.*

*Resolut.* Semidifferentia altitudinum addatur altitudini minori, summa erit altitudo poli quæsita.

*Vel,*

*Vel, Semidifferentia eadem subtrahatur ex majori, & residuum erit altitudo poli quæsita.*

157. PROBLEM. L. *Data solis vel stellæ cuiusvis altitudine meridiana, una cum declinatione eandem poli altitudinem invenire.*

*Resolut. 1. Declinatio data notetur in circulo declinationis quocunque.*

*2. Punctum declinationis notatum admoveatur meridiano.*

*3. Hic eousque adtollatur aut deprimatur inter crenas suas, donec inventum illud declinationis punctum habuerit altitudinem datam, & factum erit quod petebatur.*

158. PROBLEM. LI. *Datis duabus stellis eodem temporis momento vel orientibus, vel simul occidentibus poli altitudinem invenire.*

*Resolut. 1. Quarantur stellæ datae in globo, adducaturque alterutra ad horizontem vel orientum, vel occiduum, pro ratione problematis.*

*2. Sursum vel deorsum moveatur meridianus, donec utraque stella fuerit simul in horizonte, & factum erit, quod petebatur.*

159. PROBLEM. LII. *Ex data cuiusvis stellæ altitudine meridiana & loci latitudine ejus stellæ declinationem invenire.*

*Resolut. 1. Latitudo loci data subtrahatur ex  $90^{\circ}$ . residuum erit altitudo æquatoris.*

*2. Hæc ex altitudine meridiana stellæ subducta dabit declinationem stellæ borealem.*

3. Al.

3. Altitudo stellæ vero (si fuerit minor) ex altitudine æquatoris subducta dabit declinationem illius australiæ.

SCHOL. Quoniam multorum problematum resolutio a cognita  $\odot$ is altitudine dependet, eam etiam sine globo reperire docebit tironem sequens.

160. PROBLEM. LIII. In quovis terræ loco, hora diei quacunque altitudinem  $\odot$ is observare.

Resolut. Quadrans Q (Fig. 24.) ita obvertatur  $\odot$ li S, ut radius solaris per foramen dioptræ a admissus simul transeat per foramen dioptræ b, & erit angulus inter quadrantis crus d c & filum penduli c p interceptus mensura altitudinis quæsitæ.

SCHOL. Pro usu globi sufficere hæc quidem altitudinem solis observandi methodus potest. Quod si tamen accuratio requiri videatur observatio, aut determinanda sit altitudo alicujus planetæ alterius &c. adhibendus est quadrans astronomicus pede fimo, nonio, & tubis astronomicis instructus; itemque refractionis, & parallaxeos habenda ratio &c.

### §. III.

## PROBLEMATA OPE GLOBI TERRESTRIS SOLVENDA.

161. PROBLEM. LIV. Dati cuiuscunque loci longitudinem & latitudinem geographicam invenire.

Resolut. 1. Dati loci centrum collocetur sub meridiano, & gradus ille æquatoris, quem hoc situ

situ globi meridianus interfecat, dabit gradum longitudinis quæsitæ.

2 In meridiano numerentur gradus ab æquatore usque ad centrum dati loci. Numerus graduum dabit latitudinem geographicam loci dati ( vel borealem illam, vel australem ) quæsitam.

162. PROBLEM. LV. *Datis cuiuscunque loci longitudine, & latitudine geographicâ locum ipsum in globo invenire.*

*Resolut.* 1. A meridiano primo ortum versus numerentur gradus datæ longitudinis in æquatore, & horum ultimus reducatur ad meridianum.

2 Globo jam immoto in meridiano ab æquatore versus boream, vel versus austrum ( prout latitudo data vel borealis fuerit, vel australis ) numerentur gradus datæ latitudinis, & istorum terminus dabit locum quæsitus.

163. PROBLEM. LVI. *Datis loco & hora invenire locum aliud, in quo eodem momento numeretur data alia hora quæcunque.*

*Resolut.* 1. Locus datus collocetur sub meridiano, & index admoveatur horæ datæ.

2. Volvatur globus, donec index aliam datam horam signaverit, & omnia loca sub meridiano collocata satisfacient problemati.

164. PROBLEM. LVII. *Data hora loci A, invenire quota sit in loco quocunque B.*

*Res.*

*Resolut.* 1. Locus A admoveatur meridiano,  
& index horæ datæ.

2. Reducatur ad meridianum locus B, &  
index signabit horam quæsitam.

SCHOL. *Adcuratius multo solveris hoc, & similia problemata, sine indice horario, differentiam nimirum longitudinum convertendo in tempus hora tue data substrabendum, si locus B fuerit occidentalior, addendum vero, si orientalior.*

Sit v. g. Monachii bora  $8^{\text{h}}. 30'$ . mane, queritur quota sit bora Lissabonæ?

Quæres igitur 1. utriusque loci longitudinem, &  
invenies pro Lissabona  $9^{\circ}. 30'$ . pro Monachio  $29^{\circ} 15'$   
unde facile intelliges Lissabonam esse occidentiorem Mo-  
nachio.

2. Differentiam longitudinum, nimirum  $29^{\circ}. 15'$ —  
 $9^{\circ}. 30' = 20^{\circ}. 15'$ . mutabis in tempus, & habebis 1  
horam  $\frac{1}{4} 21'$ . dato tempori  $8^{\text{h}}. 30'$ . substrahendam.

Fiet ergo  $8^{\text{h}}. 30' - 1^{\text{h}}. 21' = 7^{\text{h}}. 9'$ . quæ erit  
hora quæsita Lissabonæ, nimirum septima matutina cum  
9 minutis.

Quæritur rursum: si Monachii est  $8^{\text{h}}. 30'$ . mane,  
quota erit eodem momento Malacæ?

Quoniam secundum observationes Gallorum longitu-  
do geographica Malacæ est  $= 119^{\circ}. 45'$ . erit differen-  
tia longitudinum  $= 90^{\circ}. 30'$ , quibus respondent in  
tempore  $6^{\text{h}}. 2'$ . dato tempori  $8^{\text{h}}. 30'$ . addenda.

Fiet ergo:  $8^{\text{h}}. 30' + 6^{\text{h}}. 2' = 14^{\text{h}}. 32'$ . ex quo  
numero, (quia duodecim horas excedit) si demantur 12,  
residuum  $2^{\text{h}}. 32'$ . dabit horam quæsitam Malacæ po-  
meridianam.

165. PROBLEM. LVIII. *Dato loco in zona torrida invenire diem, qua sol meridianus eidem sit verticalis.*

*Resolut.* 1. Locus datus admoveatur meridiano, noteturque gradus loci dati latitudini respondens.

2. Moveatur globus, donec huic ipsi gradu occurrat aliquis gradus ecliptice, cui si respondeat dies queratur in calendario, habebitur quæstum.

SCHOL. *Quoniam populis in zona torrida extra tropicos habitantibus sol meridianus bis per annum verticalis sit, nimirum sole in signis ascendentibus, & iterum eodem in descendantibus versante, invenientur binae ecliptice puncta, & bini dies.*

166. PROBLEM. LIX. *Datis die & hora loci A invenire locum B, cui eodem momento sol sit verticalis.*

*Resolut.* 1. Quæratur declinatio ☉is pro data die (n. 123.) eique respondens in meridiano notetur gradus.

2. Locus datus admoveatur meridiano, atque index datæ horæ.

3. Volvatur globus ut index signet 12mam superiorem, & locus B quæstus erit sub puncto meridiani paulo ante notato, ac proin factum, quod petebatur.

167. PROBLEM. LX. *Datis die, & hora loci A invenire omnia loca, quibus eo ipso momento ☉ oritur vel occidit.*

Refo-

*Resolut.* 1. Per problema præcedens quæratur locus B, cui ☽ tunc verticalis est.

2. Elevetur polus pro latitudine loci B (& quidem pro boreali illa borealis, australis pro australi).

3. Index admoveatur horæ 12mæ & terminabit horizon in hemisphærio superiori omnia loca quibus tunc temporis dies est: & iis quidem, qui in semicirculo horizontis ortivo versantur, ☽ occidit, qui vero in parte illius occidentia conspiciuntur, illis oritur data hora.

SCHOL. *Hoc globi situ deprehendes regiones polum elevatum inter & horizontem interceptos rotato globus nupiam infra horizontem descendere, & illas, que in inferiori hemi sphærio inter aversam horizontis faciem & polum priori oppositum interjacent nupiam supra horizontem emergere. Unde colliges, illis diem, bis noctem per plures dies esse continuam.*

168. PROBLEM. LXI. *Data die invenire locum, in quo ☽ ita occidit, ut non nisi post aliquod tempus oriatur, & quod illud?*

*Resolut.* 1. Solis locus collocetur sub meridianum.

2. Polus eousque adtollatur, vel deprimitur, donec sol in ipso meridiano positus fecetur ab horizonte, & hoc pæsto inventa altitudo poli dabit altitudinem parallelī, cuius singula puncta post occasum hodiernum non amplius vident solem non nisi post aliquot dies redditurum.

3. Velvatur globus, donec ad idem meridiani punctum in horizonte occurrat alius eclipticæ gradus, & dies huic gradui in calendario respondens erit dies quæsita, quæ denuo sollem his populis adferet.

169. PROBLEM. LXII. *Determinare, quo mense, quo anni die datae quæcunque binæ urbes A & B solem eodem momento temporis aut orientem sibi videant, aut occidentem.*

*Resolut.* 1. Pro tempore ortus inveniendo urbs utraque collocetur in horizonte occiduo, pro tempore occasus in ortivo, meridianum scilicet tamdiu intra crenas suas sursum aut deorsum movendo, dum uterque locus fecetur ab horizonte.

2. Altitudo poli hac ratione inventa adsummatur pro declinatione ☽is boreali.

3. Ex hac (per probl. XXVIII.) queratur locus ☽is eidem respondens.

4. Repertis duobus eclipticæ gradibus (bis enim eandem sol per annum dimidium declinationem habet) investigentur menses ac dies iisdem gradibus respondentes, & habebitur quæstum.

SCHOL. 1. *Ut binæ urbes pro inveniendo tempore ortus admoveri commode possint horizonti occiduo, elevandus erit polus antarcticus, & invenietur eadem quædem declinatio, sed australis.*

SCHOL.

SCHOL. 2. Si in solutione problematis altitudo poli forsitan fieret major, quam sit declinatio Œis maxima, (ut si urbes datae essent Roma & Parisi) patet, fieri non posse, quod petebatur.

170. PROBLEM. LXIII. Cuivis terrarum loco suos in sphæra artificiali determinare antæcos, periæcos, & antipodes. (I. I. §. IV. n. 80.)

*Resolut. 1. Pro antæco.* Locus datus admoveatur meridiano numerenturque gradus latitudinis loci dati. Totidem gradus in eodem meridiani semicirculo ab æquatore si versus polum oppositum numeraveris, habebis quæstum.

*2. Pro periæco.* Locus datus admoveatur meridiano, & index horæ 12mæ superiori, note turque in meridiano latitudo loci dati; denique volvatur globus, donec index signet 12am inferiorem, & locus sub punto meridiani pa culo ante notato erit, qui quærebatur.

*3. Pro antipode. 1.* Locus datus admoveatur meridiano, & index ad 12mam superiorem, numerenturque gradus latitudinis loci in meridiano.

*2.* Volvatur globus, donec index signet 12mam inferiorem.

*3.* Si latitudo loci dati fuerit borealis totidem gradus latitudinis australis, & vicissim numerentur in meridiano, & locus latitudini huic respondens dabit, quod petebatur.

**171. PROBLEM. LXIV.** *Dato cuivis loco respondens clima invenire.*

*Resolut.* 1. Elevetur polus arcticus pro dato loco, sive borealis ille fuerit latitudinis, sive australis.

2. Punctum solstitiale aestivum tri una cum indice admoveatur meridiano.

3. Volvatur globus, donec punctum sit in ipso occasu.

4. Horæ, quam hoc globi situ index signaverit, duplum subtrahatur ex 12 & residuum duplicatum dabit quæsum clima boreale, vel australe, prout latitudo loci dati fuerit borealis, vel australis.

**SCHOL.** Si latitudo dati loci major fuerit  $66^{\circ} 31'$ , qualis est locorum omnium in zonis frigidis, signum non adtinget horizontem. Quærenda igitur dies, quo  $\odot$  cum ortus fuerit, nonnisi post aliquot menses occidat, (n. 168. probl. LX.) quoque menses intercesserint inter hunc ortum & occasum, tot, ultra 24, numerabis climata.

**172. PROBLEM. LXV.** *Dato climate longitudinem diei aut noctis longissimæ invenire.*

*Resolut.* 1. Numerus climatum, si non sit major 24, bifecetur.

2. Semissi addantur 12, & summa dabit horarum numerum diei longissimæ.

3. Si

3. Si numerus climatum datus fuerit major 24, his ex dato numero sublati residuum dabit numerum mensium pro diebus. (Vide n. 78.)

SCHOL. Quot horarum est dies longissima in estate, totidem horarum erit in hyeme nox longissima; quare alterutra cognita, ignota esse altera non potest.

173. PROBLEM. LXVI. Duorum quorū vis locorum distantiam in milliaribus geographicis invenire.

*Resolut.* 1. Intervallum duorum locorum capiatur circino, & masuretur in æquatore.

2. Respondens huic intervallo numerus graduum ducatur in 15, & productum dabit, quod quærebatur.

SCHOL. Si præter gradus intervallo locorum etiam minuta æquatoris responderint, dabunt singula  $\frac{1}{4}$  milliaris geographicī.

*Resolutio alia adcurior ejusdem problematis pro quatuor diversis locorum inter se positionibus.*

I. Si uterque locus fuerit ejusdem longitudinis, ac proinde sub eodem meridiano, utroque ad eundem admoto numeretur distantia in gradibus meridiani, & numerus graduum respondens ducatur in 15' &c.

II. Si uterque locus omni latitudine careat, ac proinde in ipso fuerit æquatore, gradus æquatoris inter utrumque locum intercepti, mutatis in millaria, dabunt quæsitum.

F 3

III. Si

III. Si uterque nec longitudinem eandem, nec latitudinem habuerint, 1. elevetur polus pro alterutrius latitudine, & in zenith tam locus ille, quam circuli verticalis quadrans collocetur.  
 2. Hic quadrans, globo immoto, admoveatur loco alteri, & gradus quadrantis inter utrumque locum intercepti, mutatique in milliaria, dabunt quæsumum.

IV. Si uterque locus fuerit ejusdem latitudinis, ac proinde in eodem parallelo, 1. queratur differentia longitudinum, & latitudo notetur in gradibus.

2. Ex sequenti tabula investigetur numerus latitudini locorum inventæ respondens.

3. Per hunc numerum multiplicetur differentia longitudinum mox inventa, & dabitur quæsumum.

TA-

TABULA EXHIBENS NUMERUM MILIARIUM UNI GRADUI RESPONDENTIUM PRO PARALLELIS PER SINGULOS MERIDIANI GRADUS USQUE AD POLOS DUCTIS.

Latitudo.	Mill. min.		Latitudo.		Mill. min.		Latitudo.		Mill. min.	
	o	/	o	/	o	/	o	/	o	/
1	14	59	31	12	51		61	7	16	
2	14	59	32	12	43		62	7	2	
3	14	58	33	12	35		63	6	48	
4	14	58	34	12	26		64	6	34	
5	14	56	35	12	17		65	6	20	
6	14	55	36	12	8		66	6	6	
7	14	53	37	11	59		67	5	52	
8	14	51	38	11	49		68	5	37	
9	14	48	39	11	39		69	5	23	
10	14	46	40	11	29		70	5	8	
11	14	43	41	11	19		71	4	53	
12	14	40	42	11	9		72	4	38	
13	14	37	43	10	58		73	4	23	
14	14	33	44	10	47		74	4	8	
15	14	29	45	10	36		75	3	53	
16	14	25	46	10	25		76	3	38	
17	14	21	47	10	14		77	3	22	
18	14	16	48	10	2		78	3	7	
19	14	11	49	9	50		79	2	52	
20	14	6	50	9	38		80	2	36	
21	14	0	51	9	26		81	2	21	
22	13	54	52	9	14		82	2	5	
23	13	48	53	9	2		83	1	50	
24	13	42	54	8	49		84	1	34	
25	13	36	55	8	36		85	1	18	
26	13	29	56	8	23		86	1	3	
27	13	22	57	8	10		87	0	47	
28	13	15	58	7	57		88	0	31	
29	13	7	59	7	43		89	0	16	
30	12	59	60	7	40		90	0	0	

174. SCHOL. Tabulae usum uno alterove exemplo declaro. Quæritur, quot milliaribus germanicis (via nimirum recta) Monachium Vienna in superficie terræ distet.

RESOL. Quoniam latitudo utriusque eadem fere =  $48^{\circ} 10'$  sub eodem sunt parallelo.

*Est* vero longitudi geograph. VIENNAE =  $34^{\circ}$ . fere  
MONACHII =  $29^{\circ}$ .

RESIDUUM =  $5^{\circ}$ .

Quæratur jam in tabella numerus datæ latitudini  $48^{\circ}$ . (neglectis  $10'$  minutis) respondens. Reperies  $10.2.$

Per hunc jam numerum multiplicata residuum  $5^{\circ}$ . & productum  $50.10$  dabit quæsitam distantiam milliarum  $50$  cum  $10$  minutis =  $52$  mill. +  $\frac{1}{8}$

Sic Olomutium v. g. & Oppenheimium sub eodem sunt gradu latitudinis  $49^{\circ}$ .

Longitude geograph. OLOMUTII =  $35^{\circ} 10'$

OPPENHEMII =  $25.55$

DIFFERENT. =  $9.15$

Gradui vero  $49$  latitudinis respondent in tabula  $9.50$

*Est* vero  $9.50$   $\times 9.15' = 90^M$ .  $\frac{3450}{3600} = \frac{33}{24}$   
=  $57^{\circ} 12''$ .

SCHOL. Nimirum calculus iste hoc modo peragitur:

1. Tam numerus dato latitudinis gradui respondens, quam differentia longitudinum mutatur in minuta multiplicando per  $60$ . nempe  $9.50$

$$\begin{array}{r}
 60 \\
 \hline
 540 + 50 = 590 \\
 \& 9.15 \\
 \hline
 540 + 15 = 555
 \end{array}$$

2. Bina

2. *Pina hæc facta multiplicantur invicem*

$$\begin{array}{r} 555 \\ 590 \\ \hline 49950 \\ 2775 \\ \hline 327450 \end{array}$$

3. *Factum hoc ultimum dividitur*

*per 60*  $\bowtie$  *60 seu 3600*

$$\begin{array}{r} 3274 | 50 | 90 \\ 36 | 00 | 90 \\ \hline 324 \end{array} \quad \begin{array}{l} 3450 - 24 \\ 3600 - 24 \\ \hline 1200 \end{array}$$

34

*quæ fractio mutata in sexagesimalem dat 57°. 12'.* *Est ergo distantia locorum quæsita = 90 Mill. 57°. 12'* *geographica, quæ cum minora sint milliaribus germanicis etiam plura esse oportet.*

175. PROBLEM. LXVII. *Datis duobus locis A & B invenire omnia terræ puncta, quæ a loco A pari cum loco B intervallo distant.*

*Resolut.* 1. *Rectificetur globus pro loco A in zenith collocato.*

2. *Quadrans verticalis admoveatur loco B noteturque punctum eidem loco B in quadrante respondens.*

3. *Circumagatur immoto globo quadrans verticalis circa polum suum, & punctum paulo ante notatum designabit omnia terræ puncta quæsita.*

176. PROBLEM. LXVIII. *Data locorum A & B latitudine cum angulo positionis loci B in-*

*venire distantiam eorundem, itemque locum B  
in globo.*

*Resolut.* 1. Elevetur polus pro loco A, in zenith posito quadrante verticali.

2. Meridianus quicunque admoveatur ad meridianum æneum in eoque signetur punctum latitudini B respondens.

3. Circulus verticalis gradum horizontis intersecet dato positionis angulo respondentem.

4 Hoc immoto volvatur globus donec punctum antea notatum adtingat verticalem, & hujus arcus inter hoc punctum & zenith interceptus dabit quæsitam locorum distantiam in gradibus circuli maximi.

*COROLL. I.* Si ergo numerus graduum ducatur in 15, dabitur quæsta distantia pariter in milliaribus geographicis.

*COROLL. II.* Arcus æquatoris inter prædictum meridianum, & meridianum æneum incerceptus longitudini loci A, si circulus verticalis versatur in plaga orientali additus (si in australi, subtraclitus) dabit longitudinem loci B, ac proinde ipsum locum B per problema LV. n. 162.

#### §. IV.

### PROBLEMATA AD MAPPAS GEOGRAPHICAS PERTINENTIA.

177. PROBLEM. LXIX. *Dati cujuscunque loci in mappa designati longitudinem geographicam invenire.*

Reso-

*Resolutio pro casu duplici.*

CASUS I. Si locus cadit in meridianum in mappa designatum in planisphaerio seu mappa totius mundi.

Quære punctum æquatoris, quod ille meridianus intersecat, & adscriptus ibidem numerus monstrabit tibi longitudinem quæsitam.

SCHOL. I. In MAPPA PARTICULARI numerum meridianum per datum locum transeunti adscriptum in superno & inferno margine reperies.

SCHOL. II. In mappis majorum regionum v. g. totius Europæ, lineæ, quæ meridianos designant, omnes, præter medianam, curvæ sunt, in mappis vero minorum regionum rectæ, circa æquatorem parallelae: in regionibus borealibus superius, in australibus inferius convergentes.

CASUS II. Si locus datus E (Fig. 25) sit extra meridianum in mappa designatum.

In planisphaerio I. In meridiano C A antecedente locum E descendere ad æquatorem, & nota adscriptum gradum v. g. 120.

2. Finge parallelum m n per E duclum, & metire tam distantiam m n meridianorum C A & B D inter se, quam distantiam m E loci E a meridiano antecedente ad scalam aliquam geometricam.

3. Dic: uti m n : m E = 10° : x

E. g. Sit m n = 842

m E = 560

Erit m n : m E = 10 : 6° 57'

4. Hunc numerum inventum ( $6^{\circ} 57'$ ) adde priori  $120^{\circ}$ , & summa =  $126^{\circ} 57'$  erit longitudine loci E quæsita.

In

*In mappa maiore, in qua meridiani curvi exhibentur, descenditur in meridiano antecedente ad marginem mappæ inferiorem, aut ascenditur ad superiorem, & utrinque invenitur adscripta longitudo ius meridiani, e. g. 120°. reliqua solutio est eadem, quæ in planisphærio.*

*In mappa particulari, in qua meridiani ut totidem rectæ comparent, alteram filii tenuis extremitatem dextra, alteram sinistra tenens ita filium ultra marginem inferiorem & superiorem super locum E tensum portiges, ut utrinque eundem pertranseat gradum (e. g. 126° 57') & hic ipse erit longitudo loci E quæsita.*

SCHOL. *Filum hoc poterit arcui elatico adfixum tendi, atque sic unica manu commodius sustineri.*

178. PROBLEM. LXX. *Dati cujuscunque loci  $\mathcal{E}$  in mappa designati latitudinem geographicam invenire.*

*Resolutio pro casu duplice.*

CASUS I. *Si locus cadit in parallelum in mappa designatum.*

*In planisphærio perge dextrorsum aut sinistrorum in eodem parallelo ad meridianum primum, & utrinque omnium locorum sub hoc parallelo sitorum latitudinem geographicam adscriptam reperies, borealem in boreali, in australi australem hemisphærio.*

SCHOL. IN MAPPA PARTICULARI utrinque in mappa margine, tom dextro, quam sinistro, sua singulis parallelis latitudines geographicæ adnotatae inveniuntur.

CA-

CASUS II. Si locus datus E sit extra parallelum in mappa designatum.

In mappa, in qua paralleli curvi exhibentur.

1. Quære latitudinem paralleli A B, qui æquator vicinior est; seu qui latitudinem minorem habet (per solutionem casus I.) & illam nota v. g.  $40^{\circ}$ . bor.

2. Metire tam lineam M N, partem meridiani per E imaginatione ducti, quam lineam M E, seu ejus a parallelo priore A B distantiam, ad scalam aliquam geometricam.

3. Dic M N :  $10^{\circ}$  = M E : x

E. g. Sit M N = 1200  
M E = 800 partium

Frit M N : M E =  $10 : 6^{\circ} 40'$

4. Adde hunc numerum 640 numero supra invento  $40^{\circ}$ , & summa =  $46^{\circ} 40'$  erit loci E latitudo quæsita.

In mappa particulari, in qua paralleli tanquam lineæ rectæ adparent.

Filum tenue aut regulam parallelo proximo C D parallelam ultra dextrum & sinistrum mapæ marginem extende per locum E, & utrinque in margine notatam reperies latitudinem loci E quæsิตam.

SCHOL. Si gradibus contenti minuta negligimus, tam in E quam M E absque calculo sola aestimatione determinantur. Enimvero minuta in minoribus mapis negligenda sunt; cum & notabilia non sint, & ea esse adcuratio maparum nequeat, ut minutorum habenda esse ratio videatur.

179. PROBLEM. LXXI. *Data loci cuius-  
cunque longitudine & latitudine geographica lo-  
cum ipsum in mappa invenire.*

*Resolutio. In mappa universali 1. quære in æqua-  
tore longitudinis datæ gradum v. g.  $127^{\circ}$ . & ad-  
pone dextræ indicem.*

2. Quære a dextris in meridiano primo da-  
tum latitudinis gradum, v. g.  $47^{\circ}$ . & adpone  
indicem sinistræ.

3. Perge indice sinistræ inter parallelos pro-  
ximos a dextra versus sinistram, & simul in-  
dice sinistræ versus parallelos illos inter meri-  
dianos proximos, & in concursu utriusque in-  
dicis locum quæsitus reperies.

*In mappa particulari, in qua circuli lineis curvis  
exhibitentur. 1. Quære in infimo, aut summo  
mappæ margine longitudinem datam, & adpo-  
ne dextræ indicem.*

2. Quære in dextro vel sinistro mappæ mar-  
gine latitudinem datam, & gradui invento si-  
nistræ indicem adplica.

3. Indice dextro ascende vel descende inter  
meridianos proximos, sinistrum vero inter pa-  
rallelos proximos promove dextrorsum aut sini-  
strorsum, donec ambo digiti convenient, & re-  
peries locum quæsitus.

*In mappa particulari, in qua circuli per lineas  
rectas exhibentur. 1. Regulam, seu potius filum  
tensum, in margine tam superiori, quam in in-  
feriori, eidem datæ longitudinis gradui impone.*

2. Fi-

2. Filum alterum in margine tam dextro quam sinistro gradui datæ latitudinis pariter tensum adplica, & ubi se intersecuerint fila, erit locus quæstus.

SCHOL. Ne digitis maculentur mappæ indice potissimum alio, v. g. bacillis ex ligno, ebore, vel testa, nec nimium acutis, uti percommode est.

180. PROBLEM. LXXII. *Data duorum locorum longitudine invenire differentiam temporis.*

Resolut. 1. Quæratur differentia longitudinum in partibus æquatoris.

2. Hæc inventa convertatur in tempus, & habebitur quæstum.

SCHOL. Quæ libro opusculi bujus primo §. V. n. 36 explicavimus paulisper hic quidem revocanda sunt in memoriam, & tironum commodo nonnullis etiam exemplis illustranda. Igitur notabis,  $15^{\circ}$  gradus æquatoris præbere horam temporis:  $15'$  minuta æquatoris prima præbere unum minutum temporis, &  $15''$  secunda unum secundum. Unde  $1^{\circ}$  gradus præbet  $4'$  minuta, &  $1'$  unum minutum primum præbet  $4''$  secunda.

COROLL. Itaque si differentia longitudinis fuerit pauciorum graduum, quam  $15^{\circ}$ , eam multiplicabis per 4. & factum erit differentia in minutis temporis.

E. g. Sit differ. long. =  $4'$  erit diff. temp. =  $16'$ . Sin vero, & differentia long. fuerit major  $15^{\circ}$  gradibus, v. g.  $48^{\circ}$ . eam divides per 15, & quotus integer (3), dabit horas. Fractionis residuae ( $\frac{3}{15}$ ) numerator ductus in 4. dabit  $12'$  minuta addenda, ut obtineatur tota differentia temporis =  $3^h. 12'$ .

Si

Si præter gradus integros minuta occurrant, aut differentia long. fuerit aliquot duntaxat minutorum, & h[ic] numerus minutorum fuerit major, quam 15, divides eundem per 15, & quotus dabit minuta temporis: residuum vero, aut numerum minutorum, qui minor est, quam 15, multiplicat per 4, & factum dabit differentiam respondentem in tempore. Rem exemplis declareremus.

$$\text{I. Sit longitudo Monachii} = 33^\circ. 43' \\ \text{Passavii} = 35^\circ. 48'$$


---

Adeoque differ. in gradibus = 2. 5.

Cum jam  $2^\circ$  æquat. dent 8' minuta temporis, & 5' minuta æquatoris dent  $20''$  secunda temporis, erit tota differentia temporis Passavium inter & Monachium = 8'.  $20''$ .

II. Sit differentia long. inter locum A & B =  $2^\circ. 45'$  in partibus æquatoris, erit in tempore =  $8 + \frac{3}{15}$  seu 11' minotorum; nam  $2^\circ$  æquatoris dant 8' min temp. &  $\frac{45}{15} = 3$ .

III. Sit different. long. inter A & B =  $2^\circ 47'$ . erit in tempore =  $8 + \frac{3}{15}$ , seu 11 minuta prima, &  $8''$  secunda; nimurum  $2^\circ. 45'$  dant 11' temporis, at  $\frac{47}{15}$  relinquit residuum 2, quod datum in 4 reddit 8''.

IV. Sit differ. long. inter A & B =  $37^\circ. 47'$ , erit differentia temporis =  $2^h. 31'. 8''$ . Nempe  $30^\circ$  dant 2 horas, reliqui  $7^\circ$  gradus præbent 28'. 47' minuta vero, seu  $45 + 2$  præbent 3' minuta temporis, & 8''.

V. Sit different. long. inter A & B =  $37^\circ. 47'. 47''$ . erit differentia temp. =  $2^h. 31'. 11''.$   
3'''.

$3'''$ . nempe  $47''$  æquat. dant  $3'' + 8'''$  in tempore.

181. PROBLEM. LXXIII. *Data duorum locorum differentia temporis invenire differentiam longitudinis in partibus æquatoris.*

*Resolut.* Numerum horarum multiplicat per 15, & convertisti horas in gradus æquatoris. Minutorum vero numerus si fuerit major, quam 4, dividatur per 4, & quotus dabit totidem gradus, quot habet unitates. Residuum vero, aut numerum minutorum temporis, qui minor est, quam 4, multiplicat per 15, & factum dabit numerum minutorum æquatoris. Similiter numerus secundorum divisius per 4 dat singula totidem minuta prima; residuum multiplicatum per 15 æquat factum, quod exprimat minuta secunda.

Sit E. gr. differentia temporis inter A & B  $= 2^h. 31' . 8''$ .  $2^h$  dant  $30^\circ$   $31'$  dant  $7^\circ . 45'$ . & residuum  $3'$  dat in partibus æquatoris  $45'$ . &  $8''$  temporis dant  $2'$  æquatoris. Erit ergo differ. long.  $= 30^\circ + 7^\circ + 45' + 2' = 37^\circ + 47'$ .

SCHOL. *Hoc genus problematum, ut commodius & citra calculum solvere, laboris hujus ut solet esse impatiens, tiro posse, binas hic quidem subjungendas esse tabulas putavi, quarum altera tempus primi mobilis in partes æquatoris, altera vicissim partes æquatoris in tempus primi mobilis conversas exhibet.*

TABULA I.  
CONVERSIO TEMPORIS IN  
PARTES ÆQUATORIS.

Horæ	Gradus.	Min.			Grad. Min.			Min.			Grad. Min.		
		Sec.		Min.	Sec.		Min.	Sec.	Min.	Sec.	Sec.		
		Ter.	Sec.	Tert.	Sec.	Tert.	Sec.	Ter.	Sec.	Ter.	Sec.	Ter.	
1	15	1	0	15	31	7	45						
2	30	2	0	30	32	8	0						
3	45	3	0	45	33	8	15						
4	60	4	1	0	34	8	30						
5	75	5	1	15	35	8	45						
6	90	6	1	30	36	9	0						
7	105	7	1	45	37	9	15						
8	120	8	2	0	38	9	30						
9	135	9	2	15	39	9	45						
10	150	10	2	30	40	10	0						
11	165	11	2	45	41	10	15						
12	180	12	3	0	42	10	30						
13	195	13	3	15	43	10	45						
14	210	14	3	30	44	11	0						
15	225	15	3	45	45	11	15						
16	240	16	4	0	46	11	30						
17	255	17	4	15	47	11	45						
18	270	18	4	30	48	12	0						
19	285	19	4	45	49	12	15						
20	300	20	5	0	50	12	30						
21	315	21	5	15	51	12	45						
22	330	22	5	30	52	13	0						
23	345	23	5	45	53	13	15						
24	360	24	6	0	54	13	30						
25	375	25	6	15	55	13	45						
26	390	26	6	30	56	14	0						
27	405	27	6	45	57	14	15						
28	420	28	7	0	58	14	30						
29	435	29	7	15	59	14	45						
30	450	30	7	30	60	15	0						

TA-



T A B U L A II.  
CONVERSIO PARTIUM ÆQUATORIS  
IN TEMPUS.

Grad.	Hor. Min.	Grad.	Hor. Min.	Grad.	Hor. Min.
Min.	Min. Sec.	Min.	Min. Sec.	Sec.	Sec. Tert.
Sec.	Sec. Tert.	Sec.	Sec. Tert.		
1	0 4	31	2 4	70	4 40
2	0 8	32	2 8	80	5 20
3	0 12	33	2 12	90	6 0
4	0 16	34	2 16	100	6 40
5	0 20	35	2 20	110	7 20
6	0 24	36	2 24	120	8 0
7	0 28	37	1 28	130	8 40
8	0 32	38	2 32	140	9 20
9	0 36	39	2 36	150	10 0
10	0 40	40	2 40	160	10 40
11	0 44	41	2 44	170	11 20
12	0 48	42	2 48	180	12 0
13	0 52	43	2 52	190	12 40
14	0 56	44	2 56	200	13 20
15	1 0	45	3 0	210	14 0
16	1 4	46	3 4	220	14 40
17	1 8	47	3 8	230	15 20
18	1 12	48	3 12	240	16 0
19	1 16	49	3 16	250	16 40
20	1 20	50	3 20	260	17 20
21	1 24	51	3 24	270	18 0
22	1 28	52	3 28	280	18 40
23	1 32	53	3 32	290	19 20
24	1 36	54	3 36	300	19 40
25	1 40	55	3 40	310	20 0
26	1 44	56	3 44	320	21 20
27	1 48	57	3 48	330	22 0
28	1 52	58	3 52	340	22 40
29	1 56	59	3 56	350	23 20
30	2 0	60	4 0	360	24 0

G 2

D 2

De utriusque hujus tabulae usū nūn admonere tironem habeo: Satis, ni fallor, perspicuus est paulo accuratius perpendenti ea, quæ n. 180 non uno exemplo declaravimus. Istud forsitan inexplicatum videri potest, cur post gradum sexagesimum in tabula IIda graduum duntaxat decades exprimantur. Verum patet & istius compendii ratio consideranti, quidquid inter illas decades sive graduum sive minutorum intercipitur, id jam omne in eadem tabula fuisse expressum, & sola opus esse additione.

V. gr. Sint in tempus convertendæ partes æquatoris  $65^{\circ} 23' 40''$ .

Id est  $60^{\circ} + 5^{\circ} + 23' + 40''$ .  
 Invenies pro  $60^{\circ}$  — 4 hor.  
     pro  $5^{\circ}$      $20'$  Min.  
     pro  $23'$ .     $1' 32''$   
     pro  $40''$ .     $2'' 40'''$

Universum ergo 4. hor.  $21' 34'' 40'''$  & ita porro.

Ceterum non difficulter tiro, me etiam non motente, intelliget, ea omnia problemata, quarum solutio a locorum latitudine ac longitudine dependet, pari propemodum facilitate solvi ope mapparum posse, qua illa per globum artificialem solvimus l. Imo (vid. l. I. §. III. n. 164.

## APPENDIX DE MAPPIS HYDROGRAPHICIS.

182. Libro I. Sect. IV. §. 1. n. 94. eas diximus mappas hydrographiccas adpellari, quæ ordinem

nem situmque marium repræsentant, quemadmodum *mappæ geographicæ* delineationes terrestres exhibent.

Alia eas atque alia paulatim methodo construxere geographi.

Singulas hic quidem breviter pro tironum captu perstringam.

Prima eorum est, qui & meridianos, & *circulos æquatori parallelos* referunt per lineas rectas. Mappa ejusmodi in hunc fere modum delineatur.

1. Ducatur recta A B (Fig. 26.) totidem longitudinis gradus divisa quot mare complectitur, cuius desideratur delineatio.

2. In B erigatur perpendicularis B C in tot pariter latitudinis gradus, seu partes æquales, distincta, ad quot maris portio designanda extenditur.

3. Completo parallelogrammo A B C D, lineisque singulis per graduum puncta ductis notabunt rectæ ipsi A B parallelæ *circulos parallelos æquatori*: parallelæ autem ipsi B C significabunt meridianos.

4. Insularum, portuum, sinuum, scopulorum &c. in dato mari existentium longitudes ac latitudines opportunis hos inter parallelos locis designentur.

5. Ex loco unde navigandum est, veluti H usque ad navigationis terminum K ducatur

G 3 recta,

recta, quæ Rhombus dicitur, & cum meridiano loci H producit angulum inclinationis D H K, cui anguli omnes deinceps alii in M & N æquales esse debent, quæ æqualitas ope acus nauticæ, seu versorii magnetici (de quo l. 2. §. I. n. 104.) non difficulter obtinetur. Ita quidem illi; verum

SCHOL. Innumeris hoc mapparum hydrographicarum genus obnoxium esse debere erroribus patet facile perpendenti, nec MERIDIANOS posse omnes INTER SE SE PARALLELOS procurrere, qui se utique in utrisque polis intersecant, sed neque gradus circulorum æquatorum parallelorum æquales esse posse gradibus æquatoris, qui quo magis ab æquatore versus polum recedunt, eos sunt minores, ita ut gradus æquatoris ad gradum paralleli se habeat, uti sinus totus ad cosinus latitudinis, seu distantiae paralleli ab æquatore, secundum quam quidem trigonometriæ legem superior tabula (l. 2. §. III. n. 173.) constructa est; unde angulus rhomboidalis, quem nimirum rhombus cum meridiano efficit in puncto intersectionis, si mare paulo longius, magis, si oceanus, trahitur, identidem aliis, aliisque esse debet, & bic pariter determinandus est per trigonometriam sphæricam, cuius ignorantia in periculosos sœpe errores induxit nautes. Quid quod tempestatum causa in eodem sœpe rhombo manere non possint. Lingulæ magneticæ aliis utique in aliis locis aliisque situs est, & teste Contaminio in pericolosissimis maribus lingulas non raro adhibent tam imperfectas, ut 5 etiam gradibus varient.

183. His itaque erroribus ut mederentur hydrographi alii mappas reductas condidere, quod genus hac admodum ratione construitur.

I. Du-

1. Ducatur A B (Fig. 27.) vel ipsum æquatorem, vel alium circulum parallelum denotans tot graduum *longitudinis*, quot ejusmodi gradus complectitur designandum mare.

2. Ex puncto C erigatur perpendicularis C D, quæ pro ratione *latitudinis* marinæ in totidem partes æquales dividatur.

3. Per punctum D ducatur E F ipsi A B parallela ita, ut sit D E : A C uti gradus æquatoris, vel cujuscunque paralleli majoris A B ad gradum parallelī minoris E F (id quod ope tabulæ conficies, quam §. III. n. 173. subjecimus).

4. Rectis A B & E F hac eadem proportione divisis ducantur per puncta 1, 2, 3, ipsius CD parallelī m n, op, qr, itemque per puncta divisionis factæ meridiani A E, ts, w v &c. Et mappa confecta est.

SCHOL. Quoniam meridiani IN PLANO ita inclinari non possunt, ut parallelī paribus a se intervallis distent, & decrescant in eadem ratione, qua decrescent in superficie globi: quoniam præterea in hoc genere mapparum parallelī meridianos non ad ANGULOS RECTOS intersecant, cum iisdem meridianis eos, quos deberent, angulos efficiant, quod in re nautica facile præcipuum esse videtur, perspicuum est, & hanc REDUCTIONEM nihil admodum ad NAUTICAM adferre commodi, & nova reductione indigere.

184. Hanc ipsam reductionem mapparum novam invenit hydrographus celebris Mercator Anglus. Hæc reducțio per latitudines crescentes ita con-

G 4

fecta

fecta est, ut 1. meridiani omnes inter se quidem paralleli sint. 2. Ut gradus meridianorum cum gradibus parallelorum sibi vicinorum *eandem rationem* habeant in *mappa*, quam habent in *sphaerica* superficie globi terrestris.

Quoniam vero meridianorum in his mappis parallelismus circulorum parallelorum gradus gradibus æquatoris æquales facit, oportuit gradus meridianorum versus polos augeri supra gradus parallelī circuli vicini, secundum eam rationem, quam re ipsa in superficie globi manifestant.

Enī! methodum, qua usus in reductione hæ mapparum sua Mercator est.

1. Ducatur recta A B (Fig. 28) tot graduum longitudinis, quot graduum est delineandum mare.

2. Ex singulis punctis lineæ A B in hunc modum divisiæ ducantur meridiani A E, m n, C D &c.

3. Ducantur paralleli circuli I K, H p, Gr, E F &c.

Ut vero meridiani, omnes utpote in hac mappa paralleli, tanto magis versus polum augentur, quanto vicini circuli paralleli gradus minores habent, negotium hac propemodum ratione conficitur.

1. Fiat quadrans A B C. (Fig. 29.)

2. Ex punto B erigatur perpendicularis B E.

3. Pro

3. Pro ratione latitudinis dati parallelis sumatur arcus v. g. BD, & ex A per D agatur recta AE.

4. Hæc linea AE dabit meridianum crescentem in parallelo latitudinis BD, atque hac ratione meridianos crescentes pro quacunque latitudine reperies.

SCHOL. Cum perpendicularis DF sit cosinus latitudinis BD, qui se habet ad sinum totum AD uti gradus in parallelo latitudinis BD ad gradum æquatoris AB = AD: cum sit præterea angulus DAB = FDA, angulique F & B sint recti, erit A D: FD = AE: AB. Hoc est: gradus æquatoris ad gradum paralleli in latitudine BD = AE: AB. Verum id genus demonstrationibus supersedendum fuit in opusculo tironibus in geometria nondum versatis a me parato.

SCHOL. 2. Sed & ista reductio erroribus non vacat suis. Rhombi enim meridianos omnes AD ANGULUM CONSTANTER EUNDEM intersecant. Evidem non ignoro statuere quosdam hydrographos lineam rbomborum cum meridianis omnibus, quos quidem transit, EUNDEM CONSTANTER ANGULUM efficere. Verum si hæc lineæ rbomborum notio ponitur, erit ea, nisi directe PLAGAS MUNDI CARDINALES intersecet, curva quedam aut impossibilis, aut per sublimissinam solum geometriam determinabilis, quæ nautis usui esse eo ipso baud possit. Si quidem directe Ost & West transeat, erit circulus æquatori parallelus: Si SUD & NORD, erit ipse meridianus, in ceteris casibus omnibus curva nescio quæ, ut adeo satis mirari baud possum ipsum acutissi-

tissimum illum cetera Wolfium bac in parte fuisse ballucinatum.

185. Sed his omnibus multo facilior, expeditiorque & plane simplicissima hydrographicas mappas construendi methodus est empirica e solis potissimum nautarum observationibus nata; quippe nec meridiani in his mappis, nec paralleli delineari solent, sed solummodo 32 aut 64 rhombi, atque distantia locorum marinorum secundum millaria.


SCHOL. *Enimvero FACILIOR, EXPEDITIOR, & plane SIMPLICISSIMA est hæc methodus, sed & superiorebus illis forsitan omnibus deterior; sunt enim hæc methodo constructæ mappæ tot tantisque erroribus obnoxiae, ut nulli prorsus usui esse possint. Sic v. g. 1. Pechinum bac methodo 500 leucis gallicis justo longius remotum est. 2. Mare quoque mediterraneum 100 leucis longius productum est, quam per determinaciones adcuratas. 3. Insulæ Salomonis ab aliis 60 omnino gradus orientaliores ponuntur, quam ab aliis, atque etiam recentiores mappæ in vero insularum iſtarum loco 30° inter se gradibus discrepant.*


SCHOL. 2. *Expeditissimum foret, mappas hydrographicæ ita construere, prout mare, quod mappa exhibet, oculo spectatoris in linea verticali supra medium mare in distantia infinita existente secundum leges opticæ adaptareret. Cum vero hæc constructio ex principiis profundioribus petenda sit, quam ut vel nauta possit, vel tiro geographus intelligere, eam pluribus hic quidem persequi velle supervacaneum foret.*


Plura

Plura de his mappis differere mihi hic quidem non fuit animus, qui elementa duntaxat geographiæ mathematicæ parare *tironibus* constitui, in quibus si fuerint diligenter versati, inoffenso deinceps poterunt per vasta terrarum, marium, cœlique spatia vagari pede. Ego vero me operæ pretium fecisse arbitrabor uberrimum, si fuerim qualicunque meo labore hoc consecutus, ut haustis inde scientiæ nobilissimæ principiis, quæ non difficulter & ingenii bonitate aſſequentur, & progressionē discendi, positisque veluti fundamentis ad difficiliora progredi magno alacriq[ue] animo incipient desiderare.


## F I N I S.










Tab: I.










Tab: II.











Oa 987

S

AC






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-188593-p0140-0

DFG

B.I.G.



ANTONII BARTHII  
CANONICI WISENSTEIGENSIS, PROFESSORIS  
MATHESEOS &c.

GEOGRAPHIÆ  
MATHEMATICÆ  
ELEMENTORUM  
LIBRI DUO

USUI TIRONUM.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
IMPENSIS VIDUÆ EBERHARDI KLETT.  
MDCCCLXIV.